modo in Judæam, nobis delineat iter prædicationis Apoſtolorum, qui illum Judæis, & Gentibus prædicarunt. *Auctor rcerns.*

S. Joſeph felicitas, qui ſemper fruitus eſt conſpectu & conſuetudine Dei ſui.

Sanctus Paulinus ſe beatum duxiſſet, ſi tantum pulverem pedum J. Chriſti oſculari potuiſſet; ſed quam longe beatior Sanctus fuit Joſeph, qui illum inter brachia ſua geſtare potuit, eumque cordi ſuo arctiſſime alligare! quænam præſtantior oratio fingi poteſt, quam illa hujus Sancti viri, qui ſemper verſabatur ante pedes hujus Arcæ fœderis, & ante ſubſtantialem Æterni Patris imaginem? Quæ ſublimior viſio, quam ſemper ante oculos Dei Filium habere? quænam extaſes, quinam impetus magis admirabiles, quæ arctior familiaritas, quam ſemper eſſe cum Deo, cum Deo loqui, conſueſcere, laborare, quieſcere cum illo, & coram illo? Quis non admirabitur Sancti hujus felicitatem? quis non confitebitur illum in omnibus virtutibus ſuis eſſe incomparabilem? *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria.* (*Eccli. 9.*) Si patitur, ideo patitur, ut J. vitam ſartam tectam tueatur; ſi laboribus exercetur, ideo exercetur, ut Salvatorem nutriat; ſi cum aliquo verſatur, cum illo, aut cum Sanctiſſima ejus matre verſatur. Moyſes eo quod cum Angelo fuerat locutus, frontem tot radiis micantem ferebat, ut intuentium oculos perſtringerent. Viſio unica Sanctum Paulum ad Apoſtolatum evexit; verbum unicum Evangelii Hilariones, atque Antonios ad perfectionis faſtigium evexit. Quid ergo erit de S. Joſeph, qui vitam cum J. C. traduxit, & qui in morte ſua meritus eſt ponere animam ſuam in manibus Salvatoris ſui, atque in tumulum efferri ab illo, cujus ipſe fecerat incunabula?

S. Joſeph tutatus eſt Dei Filium adverſus Herodis furorem, eique vitam ſervavit.

Inter præcipuas parentum curas non minima illa eſt, filios tueri, atque defendere. Verum quis cogitaſſet unquam, Deum, qui creaturarum eſt Dominus, & ipſum tutore, ac præſidio poſſe indigere? Attamen cum ſe ſe communi naturæ providentiæ ſubjeciſſet, ſe ſe omnibus objecerat periculis, & caſibus, qui aliorum hominum vitæ ſolent impendere. Ceterum impius Herodes illum perſecutus eſt, eumque in ipſis incunabulis jugulare eſt adniſus. Tamen illius non erat voluntas tam cito moriendi, quemadmodum recte S. Petrus Chryſologus animadvertit; volebat enim vitæ ſuæ tempore nobis virtutum exempla præbere. Ad hæc mori volebat, cum ad pertuſectam veniſſet virilitatem, ut hoc magis eniteſceret in Calvario. Ubinam es ergo Dei providentia? ubi cura, quam gerere debes vitæ, quam haud ita pridem illi dediſti? Verum quidem eſt Deum nequaquam ſibi Filium ſervare ſuum; nullum patrare vult miraculum, ut illum eripiat, neque Legiones Angelorum inſtruere, ut eum tueatur. Quid ergo? Hanc Joſepho provinciam tradit. Itaque animadvertunt Interpretes, cum Angelus miſſus fuit, ut in ſomnis admoneret Puerum illum de Herodis poteſtate ſurripiendum eſſe, illum nequaquam id ſibi negotii ſuſcepiſſe, ſe ſe non obtuliſſe, ut opem ferret, neque Sanctiſſimam Matrem, cujus præ ceteris intererat Filii incolumitas, ſeu Joſeph dumtaxat adiiſſe, eique dixiſſe: *Surge, accipe puerum & Matrem ejus,* (*Matth. 2.*) ut ab Herodis furore Salvatorem tuum eripias. Unus ergo Joſeph a providentia conſtitutus eſt, futurus tutor, cuſtos, atque defenſor J. Chriſti, qui illum ab inimicis tutari debet, vitam illi auferre molientibus: Unus eſt in cujus manu Salvatoris vita, loco depoſiti, ſita eſt. Incomparabilis dignitas hominis, qui ut ita dicam diſpenſator eſt theſaurorum Dei, ac Dominus vitæ Salvatoris ſui, & Salvatoris omnium. *Biroat.*

Joſeph aluit Dei Filiũ fructu laborum & ſudorũ ſuorum.

Joſeph electus eſt Filii Dei nutritius. Quid prætermittit, ut habeat, unde alat vitam Matris, ac propter illam, Filii ejuſdem vitam? Opibus, commodiſque caret, ſed manuum labore ſupplebit iis, quæ ſuæ deſunt inopiæ, victum in ſudore vultus ſui, arte ſua comparat. Pretioſus ſudor, quandoquidem hoc Dei vita nutritur. Panis, quem ille miniſtrat, in Matris ſubſtantiam immutatur, ut Filius alatur. Si priſcus ille Joſeph Ægypti Salvator nuncupatus fuit, quod populi illius annonæ conſuluit, quid de altero hoc Jeſph dicendum erit, qui Salvatoris ejuſdem, & qui hunc panem Angelorum præparavit? Nonne credendum eſt, illum eximie ad Mundi Redemptionem conferre, tanquam Salvatoris Patrem? cur autem non dicamus, cum ille in partem acceſſerit patriæ poteſtatis, quam habet Deus in Filium ſuum ejuſque providentiæ ſuper eumdem, eminenter etiam fieri participem amoris illius erga ipſum? *Idem.*

Spiritus Sanctus collata Patris poteſtate S. Joſeph, dat illi conſequenter amorẽ tenerũ erga Jeſum Chriſtum, qui dignatus eſt haberi filius ejus.

Spiritus Sanctus cum Jeſum Chriſtum produxerit, & Patris qualitatem ſibi non vindicaverit, nomen hoc, & officium S. Joſeph contulit. Præcipua autem paternitatis conditio eſt tenera illa dilectio, quæ pro filiis habetur; & ſenſus omnis, ac rationis expers eſſet, qui non amaret filios, quos gignit, ac pars ſunt ſuimet ipſius. Dedit Spiritus Sanctus hanc patris qualitatem Sancto Joſeph, ideoque dedit illi tenerum amorem erga eumdem, & ille reſpondens naturali huic dilectioni, qua patres filios ſuos complectuntur, amavit Dei Filium, tanquam proprium filium ſuum; ſed amore ſupernaturali, qui excitabatur igni divino, qui alit, ac fovet hunc ſenſum in corde illius. *Idem.*

Sanctus Joſeph ad unguem obit omnia Patris officia erga Jeſũ.

Parum eſt magnum deferre nomen, & ſpecioſo titulo inſigniri; ſed caput eſt illius munera obire, iiſque cum laude perfungi. S. Soſeph non ſolum Pater Mundi Salvatoris appellatur; ſed vere officium patris adimplet, cum nutrit, atque educat Dei Filium. Humana prudentia cenſuiſſet, provinciam hanc potenti, ac diviti cuipiam principi eſſe conferendam, qui magnifice ſumptus erogare poſſet, ut ſatis digne Rex Regum aleretur. Falleris humana prudentia; oportebat, Sanctum Joſeph, cui hoc onus demandatum eſt, pauperem opificem eſſe, qui vires ſuas laboribus exhauriret; & qui ſudoribus eum ſibi compararet panem, qui requirebatur ad tanti momenti alimoniam, ut verum eſſet, ſe de ſubſtantia ſua quodammodo enutrire eum, qui liberali divinæ ſuæ providentiæ manu naturam nutrit univerſam. Quid hoc eſt, Deus? Ad quem gloriæ apicem Magnum Sanctum Joſeph attollis! Ita illum ſocias tibi ipſi; Unigenito filio tuo, & Sanctiſſimæ Virgini ſuppeditaturum, adeo excellenter ſumptus omnes Redemptionis Mundi, alendo Salvatorem, ſalutis noſtræ victimam futurum. Deus Pater contulit Divinitatem Unigenito filio ſuo, huic Virgo Sanctiſſima ſacratam præbuit humanitatem; ſed hæc nihil egit præterquam efformare illum in utero ſuo, & poſtmodum illum uberum ſuorum lacte nutrire; ſed Sancta hæc humanitas opperiebatur incrementum ſuum, atque integram perfectionem, antequam Dei Filius pro Mundi Redemptione in Calvario immolaretur. Quis illi hoc incrementum & hanc perfectionem tribuet? Quis illi ſuggeret vires ætatis perfectæ? Quis replebit venas ejus Sanguine pretioſo, qui in Cruce pro ſalute noſtra effundendus eſt, niſi juſti Joſeph labor? Caſtiſſimæ Beatæ Virginis ſinus, ſacra Matris Virginis ubera, vos intueor tanquam alterum meæ redemptionis præſidium, vobiſque gratias ago maximas, quod mihi dediſtis eumdem Æterni Patris unigenitum ſecundum Sanctam illius Humanitatem. Beatæ manus Joſeph, vos reſpicio tanquam tertium ſalutis meæ fontem & ex toto corde gratias ago, quod aluiſtis, roboraſtis, perfeciſtis laboribus veſtris Sanctam hanc humanitatem. Quam admirabilem ſocietatem! Quem beatum occurſum ſinus Patris, uberum Matris, & manuum Sancti Joſeph, ut quilibet aliquid e propria ſubſtantia conferret ad alendam, & educandam Sanctam Filii Dei Humanitatem, qui amoris exceſſu pro univerſo Mundo effuſurus erat ſanguinem ſuum in ara Crucis, non pro ſalute multorum, ſed omnium hominum, immo illorum etiam, a quibus occidebatur. *Idem.*

Cum elegiſſet Deus S. Joſeph, ut eſſet gubernator, tutor & pater nutricius Salvatoris, dedit illi qualitates his officiis neceſſarias.

Non ſatis animo concipi poſſunt prærogativæ, quas in ſe continet titulus tutoris Altiſſimi. Si olim Valentinianus Imperator declaravit quamdam eſſe ſacrilegii ſpeciem in dubium dumtaxat arceſſere virtutem illius, quem Princeps ad aliquod inſigne munus obeundum elegit, hoc enim eſſet vel Principem inſcitiæ redarguere, aut eumdem injuſtitiæ nomine inſimulare: nonne quædam eſſet ſacrilegii ſpecies ambigere quominus mortalium omnium poſt Sanctam Virginem eſſet digniſſimus, cum videmus a Deo electum eſſe ad opus omnium præſtantiſſimum, poſt illud, quod eſt eſſe Matrem Unigeniti ſui? Poſſunt quidem Mundi Principes falli in electionibus ſuis, ſed fieri non poteſt, uti docet S. Thomas, quod Deus eligat indignum; cum enim Dei electio ſit actus voluntatis ſuæ omnipotentis, quæ quodcumque ſibi placitum fuerit operatur; licet non ſupponeret meritum in electo, illud huic abunde largitur: eligendo: *Quando Deus ad aliquid eligit, ita præparat, ac diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* (*D. Th. 3. p. q. 27. art. 4.*) Verum eſt igitur Deum S. Joſeph contuliſſe qualitates congruas ſublimitati illius muneris, quo illum dignabatur; poſtmodum vero credidit illi Unigenitum ſuum, cujus futurus erat tutor, atque nutritius; & hic Unigenitus Dei Patris non erubeſcit haberi Filius fabri, ut illam haberet gloriam, ut apud omnes pater ſuus haberetur. O Salvatoris bonitatem, qui ſe ſe infra hominem demittit, ut ſuper ſe hominem ipſum attollat. *Pater de Argentano Capuccinus.*

Altiſſimus honoris cumulus, ad quem S. Joſeph evehi poterat, erat habere Jeſum curæ ſuæ demandatum. Sed longe beatior fuit, quod tot annis inter Filii Dei manus commoratus eſt, ut propius reciperet influxus Solis juſtitiæ, ut quotidie iterum perficeretur, & in ſingula momenta ad ſublimiorem Sanctitatis gradum attolleretur per affluentiem gratiam Salvatoris; cum enim ſcriptum ſit, *cum Sancto Sanctus eris*, quænam felicitas fuit tot annos verſatum fuiſſe cum S. Sanctorum, qui unus omnes efficit Sanctos! Qui tres tantum impendit annos Mundi totius ſanctificationi, triginta annos cum Maria, & Joſeph tranſegit; vulgatior enim opinio eſt, Sanctum Joſeph vixiſſe uſque ad Domini noſtri baptiſmum, qui ætatis ſuæ anno trigeſimo fuit baptizatus. Quorſum autem tot vitæ ſuæ annos cum illis traduxit? Nunquid ne quid boni faceret eo tempore? Nunquid fidei conſonum eſt, nullam habuiſſe domeſticorum ſuorum curam? Quot ſecreta documenta, quot maximæ ſublimium veritatum, quæ Angelos ipſos fallebant, revelationes? Quot exempla divina, quibus reliqui mortalium oculi digni non erant? Quot particulares gratiæ, quæ nos fugiunt? Hic S. Joſeph verius, quam Apoſtolus dicere poteſt: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui,* (*Corinth. 2.*) *Idem.*

Joſeph quin honorem habeat veri parentis Meſſiæ, omne pondus habet omnemque veri patris affectum.

Joſeph, quin reipſa pater ſit J. Chriſti, pro illo omnem habuit affectum, & veri parentis dilectionem. Quin ſibi honori verteret hanc dignitatem Patris Domini, gloriam omnem deſeruit, ut laborem tantummodo, & onus ſibi vendicaret; & quin jure uteretur diſponendi de J. C., qui ſibi ſubditus erat, ſub illo vixit, & non niſi ab ejus nutu pependit. Cum Scriptura loquitur de incuria, ac ſævitia quorumdam Patrum, qui filiorum ſuorum obliviſcuntur, & qui illis neceſſarium denegantes ſubſidium, aliorum miſericordiæ derelinquunt, illos vulgo ſtruthioni comparat, ora ſua in ſer-

ferventi arena deſerenti, & filios ſuos intuenti perinde ac non eſſent ſui: ſed cum eadem Scriptura nobis oſtendere cupit animæ miſerationem & curam in ope ferenda proximo indigenti, credit ſe uti non poſſe meliori comparatione, quam parentum, quibus nihil antiquius eſt vita, atque inſtitutione filiorum ſuorum. Pro illis ſemet ſomno, & voluptatibus fraudant; pro illis moleſtos labores ſuſcipiunt, pro illis adhibent quidquid habent ingenii, atque auctoritatis; tantus eſt amor, quo illos proſequuntur. Vobiſmet ſub hac imagine exhibete amorem Joſeph pro J. C.; ibique hoc diſcrimen adhuc invenietis, amorem, quo parentes filios ſuos diligunt, non eſſe æque juſtum, atque perfectum, ac amor fuit illius erga Salvatorem. In hoc amore nil carnale eſt, omnia ſpiritualia, nihil mediocre, omnia magna. Natura & gratia illum in ejus corde ſuccenderunt, & duabus hiſce cauſſis ad unum, eumdemque finem conſpirantibus, & circa unum objectum verſantibus, quodnam fuit hominis hujus juſtiſſimi objectum? *Elogia hiſtorica.*

Joſepho ſatis non fuit Dei Filium diligere, ſolidiora illi præbuit paterni ſui amoris documenta iis laboribus, quos pro illo ſuſcepit.

Qua dilectione S. Joſeph Salvatorem proſecutus non eſt? Quam illi non præſtitit operam in neceſſitatibus ejus? Ne putes illum in inanibus hæſiſſe blanditiis, ineptiſque admirationibus, quibus ſe ipſos fallunt parentes ſpem de filiis ſuis a prima illorum pueritia concipientes. Ne illum tibi fingas in tranquillæ educationis exercitatione, intuentem rationis naſcentis progreſſum, & ex omnibus hujus filii actibus conjecturas elicientem in tempus futurum. Longe ſolidiora, atque practica præbet ſui amoris documenta in temporibus, atque in occaſionibus difficillimis, in exſilio, in perſecutionibus, & in adverſis. Non admodum laboravit, ut comitaretur Filium Dei in vitæ ipſius publicæ triumpho: noluit ex illius celebritate creſcere, cum inſignibus miraculis ſtuporem populis omnibus injiciebat: non collegit illorum acclamationes, & plauſus eorum, qui benedicebant illi, & catervatim confluebant eo, quo tranſiturus erat: neque credidit uſpiam proſpera hæc ſibi gloriæ vertenda, neque in patrem flectendam eſſe ejus gloriæ partem, qua filius cumulabatur. Patri Æterno reliquit glorioſam hanc providentiam, ipſe vero obiit omnia laborioſæ erga Jeſum Chriſtum providentiæ munera. Illum in ſuis laboribus ſequitur, defert cum illo primas ejus cruces, ac ſecum illius humiliationes, ac paſſiones partitur. Ita illi omnia præſtat officia patris generoſi, amantiſſimi, fidelis, atque caritate Filium ſuum complectentis. Extremus quidem fuit amor illius, non autem cæcus, quales ut plurimum ſunt affectiones patrum erga filios ſuos, quædam idololatriæ ſpecies, quæ impune apud Chriſti fideles percrebuit. Eorum votis, atque libidini derelinquuntur; cupiditates eorum palpantur, eæque adoleſcere non prohibentur, ne aſſertæ innocentiæ aliquid improbitatis admiſceatur. Fallax amor vetat ne corrigantur, & ne vitia quoque vitia dignoſcantur. Quidquid fit, quidquid cogitatur, omne ad illorum incrementum, fortunamque refertur. *Flechier.*

In amore, quo S. Joſeph Salvatorem complectebatur neque abuſus eſſe poterat neque exceſſus ut in aliorum patrum amore.

Hæc non minima eſt inter S. Joſeph prærogativas; quod in illius erga Jeſum dilectione non abuſus, neque exceſſus poteſt inveniri. Quantumcumque amor ejus creſcat, ſemper in eadem perſona Filium ſuum invenit, & Deum ſuum. Natura, gratia, ratio, religio ibi mixtæ reperiuntur. Sollicitudo Joſeph pietatis fervor eſt. Omnes animæ ſuæ facultates ad Jeſum Chriſtum referuntur. Ille obnoxius non eſt huic cordis diviſioni, quæ in terris inevitabilis eſt, etenim circa unum dumtaxat verſatur objectum, omneſque animi illius affectiones Sanctæ ſunt. Si timet, pro J. Chriſti perſona timet; ſi cupit, ut illius conſulat neceſſitatibus, cupit; ſi patitur, eo quod illum patientem videt, patitur. Omnia illius poſtulata ſunt orationes, & preces & omnia officia paterna, quæ præſtat; totidem ſunt ſacrificia, atque actus adorationis, quibus colit Filium hunc, qui licet ſub ſervi forma deliteſcat, eſt nihilo ſecius Æterno Patri par, & qui licet par Patri, tamen S. Joſeph ſe ſubdit, eique paret. *Idem.*

Amor S. Joſeph erga Salvatorem fuit vigilans, juſtus, tener; quæ ſunt paterni Amoris qualitates.

Amor S. Joſeph vigilans eſt, & laborioſus, prævenit, & proſpicit omnibus J. Chriſti neceſſitatibus. Si laboribus ſe exercet, hoc agit, ut illum nutriat, ſi vacat arti ſuæ in lignaria taberna, ideo vacat, ut ſuaviſſimo Filio omnia quantum in ipſo eſt, præbeat ſolatia. Amor ſollicitus, ac tener. Filius hic abeſt ab illo; de ejus abſentia mirifice triſtatur; illum ubique perquirit, de domo in domum advolat, ex conſanguineis ſciſcitatur, num viderint illum, & ſtatim ac illi beatiſſima contigit ſors illum in medio Doctorum proſpicere, Virgo Sanctiſſima teſtis doloris ejuſdem ait illi: *Fili cur feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* (*Luc. 2.*) Amor in omnibus perfecte juſtus: Sine metu cor ſuum dividendi, & peccandi minus amando Creatorem, quam creaturam, hæc in uno eodemque objecto colligebat amans Jeſum Chriſtum, quatenus filium ſuum, eumque adorans, quatenus vere Deum ſuum. Amor procul alius a parentum amore, qui ſæpe amor eſt injuſtus, inconditus, cum Filio Dei negant, quod debent illi, hoc tradituri filiis ſuis, qui omnes eorum occupant affectiones, & qui a parentibus ſuis veluti tot numina habentur. *Elogia hiſtorica.*

In amore quo Joſeph Salvatorem complectebatur, inveniebat quomodo gratię ſimul, & naturę ſatisfaceret ſatis.

S. Joſeph in J. Chriſti perſona id amabat, quod citra ſcelus non amare non poterat; atque immunis a neceſſitate quærendi medium adeo difficile Creatori ſimul & creaturæ impendendi cor, quod illius unice eſſe debebat a quo fuit efformatum; in ſolo amoris ſui objecto inveniebat unde ſuaviſſimis, ſanctiſſimiſque naturæ ſimul, & gratiæ ſtudiis faceret ſatis. Fruebatur ille felicitate videndi illum, dolebat, cum illum non intuebatur. Præſentem amabat, hoc illius opella, & impenſa caritas nobis teſtantur, Diligebat abſentem, hoc illius dolor ac ſollicitudo probant; opera, caritas, dolor, ſollicitudo certiſſima juſtitiæ illius argumenta. At enim pater domi ſuæ habens Regem Regum, ac mundi totius Dominum & Deum, ſuaviſſimum erat illi adoptioni adeo præclaræ ſuam dilectionem rependere. Ita profecto, ſi ageretur ſolum de gloria, atque deliciis inde percipiendis. Sed quod efficere debet ut eminentem Sancti Joſeph juſtitiam admiremur, hoc eſt, quod cum gloriæ ſibi vertere poſſet dignitatem Patris J. Chriſti, omnem illius nitorem negligit, ut illi hærentem laborem, ac ſollicitudinem ſibi vindicet. *Elogia hiſtorica.*

S. Joſeph in Dei providentia omnino confidit cũ juſſus fuit in Ægyptũ aufugere.

Quænam fuit S. Joſeph confidentia in Providentia Dei, cum nato Domino juſſus fuit celeriter aufugere, & ex manu, & gladio crudelis Herodis illum capere; Cur injuſtitia, ac impotentia in mundo regnant tunc temporis, cum incipis magnas exercere miſericordias tuas? Nunquid in manibus tuis non habes corda Regum, ut illa ad arbitrium, nutumque convertas? Nonne ſceptra, coronaſque infringis, cum tibi libitum fuerit eorum ſuperbiam conterere, a quibus deferuntur? Cur opus eſt, ut qui Salvaturus eſt Iſrael ad tyranni arbitrium vagus erret, eo perſequente, ut ipſum in ipſis uſque incunabulis jugulet? Ne ſcrutemur ſecreta Dei, & in mœrore familiæ, quæ illi adeo cara eſt, & pretioſa, diſcamus ſine murmure pati, ac ſuſtinere pondus tribulationum vitæ hujus. Diſcamus S. Joſeph exemplo divinis obtemperare mandatis ſine ulla ratiocinatione, & obnitentia. Non affert ille difficultatem eludendi vigilantiam Regis furioſi, metuentis ne coronam amittat, atque tuto ſibimet conſulere exiſtimantis, ſi eum perdat puerum, qui tantum ſibi negotium faceſſit. Non reddit, hoc eſſe illum exterorum injuriæ objicere eum a domeſticis inimicis ſurripiendo; non dixit, in periculo, quod urgebat adeo, & quod inevitabile videbatur, ſuſpendendam ad tempus eſſe humilitatem, atque utendum potentia, atque Majeſtatem decere potius perſecutorem evertere, quam illi cedere. Non petiit, ut ſibi daretur Angelus dux itineris adeo longinqui, & tot periculis obſiti: gerebat mundi fortunam, eum geſtans, qui aliquando dicturus erat ſe viam eſſe, veritatem, & vitam. *Flechier.*

Ejus conſenſio cum Providentiæ voluntate in paupertate, & conditionis ſuæ humilitate.

Quamvis S. Joſeph inter Majores ſuos numeraret Reges, ac ab iis Principibus originem duceret, quos Deus ad ſolium evocaverat, tamen non iniquo tulit animo humilem, abjectamque conditionem ſuam, neque preces fudit, aut vota nuncupavit, ut e via, quæ ſibi divinitus fuerat conſtituta, recederet. Patienter auſterum hoc providentiæ ſuſtinuit imperium. Sine murmure tributum illis perſolvit, quibus nativitatis jure ut dominaretur, petere poterat. Paupertas illi contumelioſa viſa non eſt, eam quippe Deus ipſe permiſerat. Quid hiſce temporibus prætermittitur, ut familia ubi parumper de gradu exciderit, iterum attollatur? Quilibet ſui miſeretur, & invidet aliis. Servit alienæ fortunæ, ut ſuæ reparet ruinam; per fas & nefas undequaque opes conquirit, ut gloriam redimat auro; ac honoris jactura aliqua bonorum copia ſarcire contendit. *Flechier.*

Avitam gloriam negligens obſcuram & tranquillã agebat vitam fabrilibus operibus vacans.

Joſeph eam negligens gloriam, quam ex avis poterat mutuari, tranquillus in taberna ſua operi vacat ac ſine ſtrepitu illam exercet artem, cui divina illum providentia ſubjecerat, procul a Mundi tumultu, faſtu, in pacato, ſanctoque ſeceſſu ſorte ſua fruitur, nimis ſe beatum putans, quod dignus fuerit inventus, qui labore ſuo Dei paupertatem ſublevaret, cujus copia mortales omnes ditat, & ſudoribus vultus ſui offam illi ſuppeditaret, a quo ipſi quotidie panem petimus, & præſidio, curiſque ſuis Salvator fieret ipſius Salvatoris. *Elogia hiſtorica.*

Neceſſe erat, ut S. Joſeph latentem vitam duceret.

Quemadmodum Joſeph nonnihil conferre debebat Evangelii nativitati, ita ad id ſe ipſum præparare debebat in anteceſſum virtutes, & conſilia Evangelica ad praxim redigens. Dicebat, ut gereret ſimilitudinem Dei infirmi, & humiliati, cujus habendus erat tanquam pater, ac tutor. Cum ejus requireretur opera, ut celaret Incarnationis Myſterium, donec tempus adeſſet illius manifeſtandi; deliteſcere oportebat in conditionis ſuæ tenebris, ac fieret ipſe quoddam veluti Providentiæ Myſterium. Quantum me juvat ſub ruſtico mapali, & in anguſta domo procul a Mundi ſtrepitu, ac tumultu illum mihi fingere ſibimet labore, receſſu, ac precibus ſanctificando vacantem! Quodnam palatium adeo anguſtam cepit familiam? Quot, quantaque in arcto, obſcuroque hoc loco acta tranſactaque ſunt! Ibi delineabatur mundi recentis imago in juſtitia, & ſanctitate veritatis creati! Ibi in tempore perfici incipiebant æterna Divinæ Miſericordiæ in noxios, ingratoſque homines conſilia. Ibi effingebantur prima ſpiritualis, interioriſque cultus, qui inſtituendus erat, exemplaria, & jaciebantur fundamenta ignoti Evangelii, quod in omnes terrarum plagas late ferendum erat. Ibi tandem Jeſus Chriſtus licet Puer jam mediatoris, atque Pontificis, tanquam in Sanctuario Deo peculiariter ſacro, munere fungebatur. *Flechier.*

S. Joſeph perfecte celavit Incarnationis myſterium.

Non poſtremum inter cauſſas, propter quas Providentia Mariæ dedit Joſeph in virum, hæc fuit, ut dæmonem celaret Incarnationis Myſterium. Opus erat viro, qui par eſſet exequendis Conſiliis Dei ſilentio diligentiſſimo, ac fideliſſimo, viro, qui non ſolum non proderet per imprudentiam ſecre-

BIBLIOTECA CENTRAL

Hoc illud erat [illegible] ipſi creditum.

ſecretum, quod illi depoſiti loco fuerat commiſſum, ſed qui ſumma præcautione, ac ſapientia leviſſimas etiam conjecturas auferret ſalutis noſtræ inimico: Dæmon enim ex pluribus indiciis intelligens tempus adventus J. Chriſti appropinquare, attentus erat, ut ab initio adverſaretur operi noſtræ redemptionis & veluti draco vigilans, ac furens paratus erat, ut ſtatim voraret adorabilem puerum qui imperium illius erat everſurus. *Abbas de Jary.*

Admirari debemus perfectiones Sancti Joſeph, pares enim ſunt dignitati Sponſi Reginæ Cæli, ac terræ.

Ubi conſidero auguſtiſſimam Reginam hanc, coram qua omnes terræ poteſtates flectunt genua, conjugem fuiſſe Joſeph, eamque huic honorem, obſequium, & amorem impendere debuiſſe, quatenus ſuaviſſimo Viro ſuo, & Unigenitum Dei voluiſſe illum habere patris loco in terra, eique ſe regendum ſubjicere; hujus cognitiones, ſapientiam, virtutes, perfectionem, & gratias ingentibus illis titulis, diviniſque relationibus pares extitiſſe; mens mea obſtupeſcit, atque ſublimibus hiſce imaginibus confunditur. *P. Surin.*

Quomodo ſe geſſerit Joſeph ubi conjugem ſuam ventrem ferre cognovit?

S. Joſeph non niſi contremiſcens aggreſſus eſt miniſterium familiæ J. Chriſti, atque integerrima fidelitate illo perfunctus eſt. Quanam circumſpectione, quo cum Divina voluntate conſenſu intuitus eſt myſterium, quod in Maria Spiritus Sanctus operatus fuerat, etiam antequam de illo fuiſſet admonitus? Videte quomodo in re tanti momenti ſe gerat. Suſpicionibus non obſequitur, externis ſpeciebus non hæret, ne lædat veritatem; per otium rem ipſam meditatur, & animi turbi nihil officit ejus patientiæ. Neminem conſulit, veritus, caritatem offendat, conjugem non accuſat, neque enim bonitas, & juſtitia ejus hoc patiebatur. Immo neque aperit illi ſuæ ſollicitudinis cauſſam, ne hæc mentis ſuæ ſignificatio dolorem aliquem illius inferret pudori. Sibi videtur in facie, oculiſque ipſius apertiſſima innocentiæ documenta intueri. Sciebat, Virginem eſse pariturum, & credebat, Virginem hanc eſse debere Mariam, mallens in ipſa miraculum præſumere, quam noxam ſuſpicari, & credere Virginem Matrem eſse, non autem, Mariam eſse nocentem. Sed inter eas difficultates, quas natura, & ratio illi objicit, judicium penes Deum relinquit, & cupit in providentiæ ejus ſecretis aliquam inveniri viam ad oſtendendam illius juſtitiam, quam nonniſi innocuam poterat cogitare. Providentia hæc illam oſtendit; evaneſcit nubes, Angelus apparet, Joſeph in veritate confirmatur, & in fidei ſuæ præmium obtinet revelationem, & cognitionem myſterii, cujus non minimam partem erat habiturus. *Flechier.*

Joſeph alacriter divinis paret imperiis, quibus jubebatur in Ægypto aſylum ſibi quærere cōtra Herodis furorem.

Quanam alacritate Joſeph Cæli paruit imperio, ab Angelo juſſus fugam in Ægyptum capeſſere. Non quærit exſilii ſui diuturnitatem, cæce paret mandatis, & quin futura ſcrutari velit, & quin exſilii longitudinem vereatur, non curioſitati ſuæ vult ſatisfacere, neque patientiæ ſuæ terminem figere. Fingite vobis hunc providentiæ virum a facie tyranni, qui patrum ſuorum thronum occupaverat, fugientem, J. Chriſti, & Chriſtianiſmi curam gerentem, myſteria Religionis & Eccleſiæ in ipſa origine errantis deferentem; connubiæ noctis favore iter facientem, ſine duce, ſine præſidio, nocentis inſtar in terra aliena quærentem eam ſecuritatem, quam ſua innocentia eidem prabere non poterat in propria; & geſtantem Deum Iſrael, ut in crudeli, ac barbara Ægypto veterem populi ſui captivitatem experiretur. Illic in ſolitudine curis dumtaxat pro J. Chriſto ejuſque Matre ſuſceptis interpellata poſſidebat theſaurum hactenus reliquis hominibus clauſum. Illic Dei Filium de deſerto in deſertum adducens, quaſi ut illius præſentia conſecraturus ea profana loca, quæ tunc temporis a dæmonibus incolebantur, poſtmodum ab Anachoretis, Sanctiſſimiſque Pœnitentibus incolenda, factus eſt quodammodo caput eorum ſub J. Chriſti auctoritate, & Angelis hiſce mortali corpore indutis indigitavit celeberrimos aſylos contra Mundi corruptionem, & Satanæ invidiam, qui contra virtutem minus irritatus non erat, quam crudelis Herodes. *Flechier.*

Joſephi & Mariæ conjugiū optime erat cōſociatum.

Joſephi & Mariæ conjugium Cæli ipſius opus fuit. Uterque a divina ſapientia electi fuerunt; alter pro altero Dei juſſu factus, alter alteri a divino Spiritu junctus; eadem utrobique mens, eadem conſilia, eadem vitæ generis electio, eademque integritatis, & continentiæ profeſſio. Ita pax, juſtitia, caritas feliciſſimam hanc affinitatem pepererunt. Mariæ ſubjectio voluntaria eſt, Joſephi dominatio eſt obſequens: illa hunc tanquam familiæ caput obſervat, & veretur, ille hanc colit tanquam caput myſterii. Eorum grati animi ſenſus mutuus eſt, omniaque illorum negotia ſunt ſancta, unum enim, ac idem circa objectum verſantur, hoc eſt, Jeſum Chriſtum. Numquid ſuperbi Imperatoris edicto parendum eſt, ac palam ſubjectionis, ac ſervitutis ſuæ profeſſio emittenda? Uterque ſimul ſe conferunt, ut nomina ſua cum mortalium omnium nominibus confundant. Amittunt illi Jeſum Chriſtum? Simul vota, lacrimaſque ſuas miſcent, cumque illis idem ſit amor, unus etiam eſt dolor. Ex publico rumore ſapientiæ illius mirabilia auribus illorum accidunt? In communi admiratione tanquam immoti manent ſimiles Cherubin, quæ ſemper in Propitiatorium oculos figebant, ſemper hærentes J. Chriſto, nunquam ab invicem ſecedentes. *Flechier.*

Hominum plerique Dei voluntatem non conſulunt cum ducunt uxorem Joſeph autem non ita.

Hiccine mortalium mos eſt, ut antequam ſeſe nuptiis implicent, Dominum conſulant? An potius libido, ſuperbia, avaritia hunc vitæ ſtatum ſuadent? Numquid de perſonarum inſtitutione quæritur, cum quibus conjugium nectendum eſt? An potius ante omnia opes, honores, dignitates quæruntur? Attentius omnia expenduntur, quæ ad fortunæ bona pertinent; mentis vero, animique bona ut plurimum per tranſennam tantummodo conſiderantur. Numquid hiſce temporibus Matrimonium conſideratur tamquam Sacramentum, quod magnum eſt in Eccleſia, & J. C. An potius negotiatio eſt, quæ fit non pro meritorum, ſed pro bonorum magnitudine? In id unum attenti ut fiant locupletiores, non laborant, ut Sanctiores evadant. Utinam regulis a S. Paulo præſcriptis obſequeremini, ut in Domino tantum nuberetis, aut duceretis uxorem; neque aliud vobis animo obverſaretur, quam ſanctificatio veſtra; & ſolliciti eſſetis, ut adeo paris intentionibus Joſephi, ſanctiſſimæque illius uxoris præſidium promereremini. *Sermo Manuſcriptus.*

Conjugium Sancti Joſeph, & Sanctiſſimæ Virginis fuit Cæli opus, & tale eſſe deberet cōjugium Fidelium.

Attendite, patres, matreſque, & vos omnes qui ad matrimonii vincula vocari exiſtimatis: Sanctiſſimæ Virginis conjugium opus Cæli eſt; ac tale veſtrum quoque eſſe oportet. Sancta hæc Sponſa, ejuſque conjux uterque Dei juſſu fuerunt electi; alter alteri a Spiritu Sancto fuere conjuncti; caritas, pax arctiſſime ſanctæ hujus affinitatis nodum colligarunt. His unum dumtaxat cor erat; Dei amor in utroque excellenter dominabatur; Virtutes omnes in ſublimi gradu poſſidebant uterque, neque alter ab altero poterant ſeparari, cum Deus ipſe illud eſſet vinculum, quo connectabantur. *Auctor recens.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Quiſnam poſſet ambigere, quominus Sanctæ Matrimonii leges ad unguem a Sanctiſſima Virgine, Viroque illius Sancto Joſeph fuerint obſervatæ? Cælum ſolum Sancto huic præfuit conjugio; cælum inquam ſolum; neque enim exiſtimandum eſt, eas cupiditates, quæ ut plurimum mortalium nuptiis præſident, vel minimam in illo partem obtinuiſſe. Non ambitio, quæ efficit, ut gloria mere mundana in Principum affinitatibus inquiratur, non avaritia, quæ eas quærit ſponſas, quæ præ aliis optime dotatæ ſint; non libido, quæ perfunctoriam dumtaxat voluptatem appetit, in conſilium vocatæ ſunt, ubi felicis hujus conjugii negotium tranſigebatur. Ad illud implendum artes, ac doli, qui aliquando conſueverunt, adhibiti non ſunt; integumenta, quibus utuntur plerique, ut ſibi invicem abſcondant pravas qualitates ſuas; fuci quos acceſſunt, ut bona, quæ poſſidentur, longe majora videantur cum periculo quamprimum videndi dolorem, iracundiam, pœnitentiam, odium ei ſuccedere amicitiæ, quæ cum non aliud ſit, quam meræ effectus calumniæ, non extingui non poteſt, ex quo experientia id diſſipavit quod fucum faciebat. Omnes hæ duplices agendi rationes procul abfuerunt ab adeo ſancta affinitate, quæ Joſephum, ſanctiſſimamque illius Sponſam conſociavit. Mariæ opus eſt viro; quis hunc illi tribuet, niſi Deus ipſe, qui prorſus peculiarem illius curam gerit? Sed quem Sponſum illi dare debet, niſi meritis ejuſdem parem, & inſignium virtutum ejus imitatorem? *P. Martineau.*

Turbatio & hæſitatio Joſeph intuiti uxorem ſuam prægnantem antequā de hoc myſterio edoceretur.

Sanctus vir Joſeph neſciebat quid ſibi eſſet judicandum ubi Sanctiſſimam Conjugem ſuam gravidam eſſe intellexit. Virtus ejus cum ratione dimicat, virtus, quæ jam jam ſuſpicione non caret. Nequit eamdem ferre innocentiam, ſi ſub criminis ſpecie prodeat: & ſicut ex S. Cypriani ſententia non ſufficit Virginem eſſe; opus eſt, talis videaris, vel jam talem eſſe ceſſes; Joſeph hæret inter ea, quæ videt, & credit. Credit Mariam Virginem, ſed videt prægnantem: cor ſuum illam abſolvit, ſed oculi condemnant. Si humanitus concepit illa, ipſa hoc digna non eſt; ſi divinitus, ipſe non dignus illa. Si in hac graviditate quid juxta naturam occurrit, Joſeph ex juſtitia Sponſam relinquere debet; ſi quid ſupra naturam, eam debet relinquere ex reverentia. In duarum harum opinionum certamine, quæ illum viciſſim ſuſpenſum tenent, illam eligit, quæ ſibi videtur probabilior. Mavult relinquere innocuam, quam ſe periculo objicere nocentem retinendi. *Abbas de Marue.*

S. Joſeph conjugium fuit felix, & quare.

Quam felix eſt Matrimonium, cum vir ſimul & uxor ultro citroque ſeſe animant ad ſerviendum Deo, ad illum laudibus celebrandum, amandumque iiſdem ſenſibus pietatis, atque virtutis; cum vir uxorem ſuam diligit adeo pura dilectione, uti S. Joſeph Sanctiſſimam Virginem diligebat propter ipſius modeſtiam, innocentiam, puritatem; cum uterque, ut S. Joſeph, ejuſque Sponſa irreprehenſibiles in viis Domini incedere ſatagebant; cum ſe mutuo in adverſis conſolantur; cum eamdem ſpem habent, fidem eamdem, eadem deſideria, eamdemque regulam; cum ſimul ad eaſdem pietatis actiones aſpirant. Orandum eſt? Se in penetralibus clam abdunt, ut ſibi illius præſidium promereantur, qui opem ſuam pollicitus eſt, ubi duo, vel tres in nomine ſuo fuerint congregati. Jejunandum eſt? Vel ſimul aliqua Religionis officia obeunda? Videntur ſimul, tamquam Joſeph ejuſque conjux Sanctiſſima in Templum ſeſe conferre, ſimul dies feſtos celebrare, & unum habere ſpiritum, & cor unum in carne eadem. *Sermo Manuſcriptus.*

Hic naturæ ordo penitus inverſus eſt. Maria enim perficit Joſeph earum gratiarum copia, quibus repleta eſt; illa ſuam Joſeph nobilitatem communicat. Etenim nonne ab ipſa recipit fecunditatem? ab illa enim recipit Jeſum Chriſtum in Filium. Quam beatus eſt vir, qui uxorem invenit, a qua ad virtutem impellitur! Quot uxores tentationi ſunt viris ſuis, quibus ſuas inſpirant iras, ultiones, vanitates, eoſque ſollicitationibus ſuis urgent, ut obſequantur cupiditatibus ſuis, ac votis ſeſe altius efferendi? Iſtic in hoc Sancto

con-

conjugio omnia ſunt uniformia; eædem cogitationes, eædem affectiones, eadem deſideria. *Flechier.*

Joſeph vigilantia ſubtrahit crudelitati Herodis Mundi Salvatorem.

Si quando patitur Dominus iniquitatem graſſari, illi terminos conſtituit, cum ipſi libitum fuerit, efficitque ut illa etiam ſuis conſiliis deſerviat. Injuſtitia majore cum furore in mundo regnat eo tempore, quo venit Salvator ad majores miſericordias ſuas exercendas. Furit Herodes, ut omnem ſalutis noſtræ œconomiam ſubvertat, adniſus antevertere tempus mortis hujus adorabilis victimæ; ſed inanis potentia, inutilia perſecutoris imperia, conatus veſtri in irritum cedent. Vigilantia Joſeph juſti ſubtrahet furentis Regis, & ne coronæ jacturam faciat, pertimeſcentis, ſævitiæ Regem Iſrael, quem ambitioni ſuæ immolare contendit. Joſeph, digne tanto huic operi præſes, a Deo non petis, ut ignem in hujus impii caput dejiciat; quemadmodum duo Zebedæi filii poſtmodum petierunt adverſum Samariæ cives; non dicis Deo; quandoquidem Regum corda ſunt in manu ſua, ut tyranni hujus animum in aliud quodpiam objectum convertat; quin Dei conſilia ſcruteris, cæleſtibus pares imperiis; non poſcis, ut Dominus breviora, vel planiora tibi præbeat itinera; vel ut viæ dux tibi Angelus adſit; quia in manibus tuis geſtas mortalium omnium ſalutem, ſed ſilens mandata facis, citius fugam capeſſens, tanquam unicum illud medium, quod tibi Dominus indigitaverat. Quid autem vos, ſpiritus fortes, cum de providentia Dei vultis diſceptare, eamque cenſoria nota perſtringere? Quot inutiles animadverſiones tunc mentem animumque veſtrum occupaſſent? Veſtra fides infirma non leve ſcandalum paſſa fuiſſet, videns Cæli, terræque regem huc redactum, ut fuga vitæ ſuæ conſulere debeat, ex adeo imbecillis inimici furore elapſurus. Iiſdem præjudiciis, ac Judæorum natio obnoxii quæſiviſſetis; hiccine ille eſt qui nos a Romanorum jugo eſt liberaturus? Externa ſpecies infirmitatum Salvatoris oculis veſtris inviſibilia ejuſdem magnalia ſurripuiſſet. Nonne ſexcentas addidiſſetis quæſtiones ab Angelo percontati, quem finem exſilium hoc eſſet habiturum? Utrum Ægypti Rex æque timendus eſſet, ac Rex Judææ. Diſcite tandem, critici ſpiritus, ſupremam hominis rationem in hoc poſitam, ut in omnibus Dei providentiam ſequatur. Diſcite a Joſeph fideliter divinis parere mandatis, quin inquietæ curioſitati veſtræ ſatisfacere inquiratis. Mirum eſt intueri ſanctum virum Joſeph Salvatoris ſui vitam tuentem, omnes mundi theſauros inter ulnas ſuas deferentem, per Ægypti deſerta concubiæ noctis favore iter agentem, licet ſecus ferret Mundi lumen, ſine duce, præſidio. Tunc Joſeph cor ſuum attollens ad te, Deus meus, adorabat te tamquam ſanctificatorem eorum deſertorum, quæ olim a tot ſervis tuis erant incolenda, quorum tu præcurſor eras, & caput. Te cum Joſeph famulo tuo adoramus in hoc profugi ſtatu, Domine; nobis enim æque ac illi perſuaſum eſt, quodcumque nobis inter homines fortiſſimum videtur, nonniſi infirmum eſſe coram Majeſtate Sancta tua, & quodcumque infirmiſſimum eſt, hoc gratia tua eſſe fortiſſimum. *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* (*1. Cor. 1.*) *Auctor neotericus.*

Deus cui ſexcentæ non deerant viæ filium ſuum de Herodis furore liberandi, voluit, S. Joſeph deferendam eſſe gloriam ſalvandi vitā Salvatoris Mundi.

Conſtat Deum, cum ſexcenti ſibi, iique facillimi ſuppeterent modi Filium ſuum ab Herodis furore expediendi, eligere voluiſſe eum, qui Salvatori quidem abjectior eſſet, ſimulque S. Joſepho glorioſior, huic imperando, ut Filii ſui incolumitati fuga conſuleret. Mirum, ſanctus Petrus Chryſologus inquit, perſecutio adeo violenta eſt, atque adeo contra Salvatorem irritata, ut Judæa tota aſylum ei præbere non poſſit. Illa nonniſi pauperis viduæ opera indiguit, ut ſeſe contra potentiſſimum Regem tutaretur; Salvator vero in magna Provincia ſatis præſidii invenire non potuit adverſus Regem, cui cupiditas ſua dominabatur. Fruſtra puer hic adorabilis conquiſitus ad necem ſeſe in antra reciperet; Herodis crudelitas, quæ illum in ſtabulo etiam perquiſivit, inter petrarum foramina eum reperiret; fruſtra in Templum confugeret, & ad aras; impius enim rex, qui toties earum polluit Sanctitatem, inde eum abſtraxiſſet; Non tamen abſtrahet unquam, ac divellet eum a manibus Sponſi Mariæ; & quod amicorum cura, quod agnatorum ſollicitudo, quod Principum ædes, quod ipſa ſacrorum locorum Majeſtas non valuit obtinere, hoc Joſeph exequitur, & ex Herodis furore filium hunc amabilem abſtrahit. Verbum Incarnatum curis Joſeph debere voluit vitæ ſuæ incolumitatem, ut omnes intelligerent, ſi Pater Æternus in terras deſcendere juſſit Filium ſuum pro noſtra felicitate, miſiſſe quoque S. Joſeph, ut illum tueretur, qui ejuſdem fons eſt. Omnes homines aliquid contulerunt ad mortem Salvatoris; & unus tantum fuit homo, qui vetuit, ne in ipſa moreretur infantia; & ſi beatiſſima Virgo una eſt inter mulieres, a qua Jeſus vitam accepit, Joſeph unus eſt inter homines, qui eidem vitam ſervaverit. Verum eſt, Deum Angelos mittere, qui de loco in locum Prophetas, & Evangelii Præcones deferant; ſed uni Joſeph committit vitam Salvatoris, atque curam illius in tutum transferendi. Sanctus hic vir neſcit iter, quo Bethlehem egreſſus æque celeriter, & facile in Ægyptum migret, ac Angelus, qui tranſtulit Habacuc de Judæa Babylonem, & ille, qui Diaconum S. Philippum de urbe Gaza, Azotum uſque; Sed hoc ipſum ejus gloriam commendat, quoniam iter illud caro ei ſtetit pretio ita ut laboribus fuerit opus, vigiliis, ærumnis eouſque ut ſæpe in diſcrimen libertatem, vitamque ſuam adducere debuerit, ut filium a morte liberaret. *Recens Auctor.*

Unicus titulus patr[is] Incarnati Verbi præſtat elogiis omnibus, quæ de S. Joſeph fieri poſſint.

Regius Propheta poſtquam omnes impendit animi ſui curas in laudibus, quibus Deum ſuum proſecutus eſt, fatetur tandem, ſatis eſſe dicere, illum Deum eſſe. Hoc ipſum a nobis fieri poſſe puto, cum loquimur de patre Hominis Dei; & poſtquam omnes quas poſſumus, laudes cecinimus, duo hæc verba perfectiſſimum illius elogium efficere: Joſeph Incarnati Verbi pater eſt. Mirantur Doctores quidam, quod Salvator ne verbum quidem protulerit laudaturus Sanctiſſimam Virginem, & S. Joſeph, quamvis ipſe Præcurſoris, Sancti Petri, immo etiam nonnullorum peccatorum elogium concinnaverit, ſtatim ac illius approbationem meriti ſunt; & quamvis exiſtimationis ſenſus deprompſerit in favorem militum, qui fuerant converſi, & mulierum, quarum impudicitia, & infidelitas olim ipſis omnium contemptum conflaverant. Cur ergo nunquam ab illo auditum eſt verbum de harum duarum perſonarum laude, quæ ceteris præſtabant, & quas ille præ ceteris diligebat? Hac profecto de cauſa, quia ſe illius confitens filium, iiſque omnem præſtans obedientiam, quam parentes a filiis ſuis poſſunt expetere, & ubique præſeferens Mariam quidem eſſe matrem ſuam, Joſeph autem patrem, nihil illis vel officioſius, vel jucundius efficere poterat. *Idem.*

S. Joſeph perfectam habuit cum conjuge ſua ſimilitudinem.

Revertamur ad verba illa: *Joſeph vir Mariæ.* Prorſus peculiari Dei ſapientiſſimi providentia Joſeph ſanctiſſimæ Virginis Sponſus electus fuit. Quid nobis inferendum non eſt in magni Sancti hujus laudem? Ne putetis me iſtic vobis amplificare velle honorem, quo uterque gaviſus eſt, quod ex Davidico eſſent genere. Verum quidem eſt nequaquam oblitum fuiſſe illius in verbis, quæ in myſtico illo ſomnio ad ipſum habuit. Si hoc uno ex loco Virgini ſimilis extitiſſet, næ hæc infirma laus eſſet. Cum enim ex eodem ſtipite longe diverſa germina ſoleant exiſtere, ita ex eadem familia prodire poſſunt homines longe diſſimiles, alii quidem ob pravas qualitates ſuas contemptibiles, alii vero ob optimas magno in pretio habendi. Quamobrem hujus conſanguinitatis relationi, aliam Deus addidit virtutem priori, quæ naturæ opus tantummodo fuit, præſtantiorem. *P. Martineau in Sermone Manuſcripto.*

Ex eo quod Joſeph electus fuit in Sanctiſſimæ Virginis virū, ſublimem fovere debemus de illius virtute conceptū.

Poſtquam vidiſtis Joſeph a Deo electum Sanctiſſimæ Virginis Virum; quam glorioſam virtutum ejus imaginem mente concipitis? Procul dubio vobiſmet in eo fingitis perfectam rationis rectitudinem, ut omnium providentiæ conſiliorum de ſua conjuge particeps fiat; fingitis in illo caritatem æque teneram, atque practicam, ut omnibus neceſſitatibus ejuſdem conſulat; fingitis profundam in illo humilitatem, ut in eadem univerſorum vereatur Dominam, quamvis ſponſi qualitas in ejuſdem perſonam aliquam ei videretur conferre auctoritatem; fingitis in eo Angelicam puritatem, ut cum illa Virginitatis gloriam partiatur. Hæc eſt doctrina univerſim: atque conſtanter Patribus probata, ſi Deo humanitas eſſet aſſumenda, hoc fieri debere in Virginis ſinu; temporalem ejus nativitatem imitari debere æternam ejuſdem nativitatem; & ſicuti in æternitate ex patre natus eſt ſine matre; in tempore naſcendum illi fuiſſe ex matre ſine patre; ego autem affirmo Virginem, quæ Mater filii Dei erat futura, habere debuiſſe virum vere Virginem, ut erat ipſa. Virum quidem habere debebat, ut Salvatoris ortus populo ſuo legitimus videretur, quem Virginitatis, & fecunditatis ſimul collectarum in eadem perſona myſterium abſterruiſſet. *P. Martineau.*

Quænam fuit S. Joſeph gloria vice Patris Salvatoris functū fuiſſe.

Quænam mortalis honoris gloria fuit in terris gerere vices patris illius, qui in Cælis Patrem habet Altiſſimum! Paternitas omnis, inquit Apoſtolus, eſt participatio paternitatis Æterni Patris: *A quo omnis paternitas in cælo, & in terra.* (*Ad Eph. 3.*) Sed nulla verius, quam paternitas S. Joſeph. Patres alii participes quidem fiunt maternitatis Patris Æterni; ab illo enim accepere filios, quorum ſunt patres. Sed Joſeph illius particeps eſt, quia eumdem habet cum ipſo Filium. Ita ſane, Dei Filius eſt filius Joſeph; non quidem ex illius ſanguine concretus, ſed eo efformatus ſanguine, qui ad ipſum pertinet, caſtiſſimo, ac puriſſimo ſanguine Sanctiſſimæ Virginis; qui ad ipſum æque pertinet, ac fructus ad dominum arboris, quæ eumdem produxit. Ita J. Chriſtus ſpectat ad Joſeph; quod ipſum Virgo Sanctiſſima profeſſa eſt, cum Filium ſuum invenit in Templo dicens: *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te:* (*Luc. 1.*) *Idem.*

Singularis eſt S. Joſeph gloria; cū enim alii in eo gloriā ſuā conſtituant ut obediant Deo, gloriæ illius cumulus eſt Deum ipſi obediviſſe eique ſubditū fuiſſe.

Summa J. Chriſti gloria eſt eſſe Æterni Patris filium, ita infinita propemodum gloria eſt Sancti Joſeph; haberi unicum J. Chriſti patrem in terris, cui Deus hic parere dignatur, & quatenus patri ſeſe ſubjicere. Itaque dici poteſt inter S. Joſeph, alioſque hoc intereſſe diſcrimen, quod alii quidem magni ſunt, quia obediunt Deo; hic autem, quia Deus illi obedit, & ſubditus eſt. Etenim quænam vobis fuiſſe videtur incomparabilis hujus hominis cura annorum triginta ſpatio; adimplet ille in tempore, quod Deus propoſuit in Æternitate, & curam hanc ſibi unicum vitæ ſuæ negotium conſtituit. Verum quid agit? Oſtendit, celat, in lucem profert, inter tenebras tenet, vitam, & actiones Salvatoris Mundi, illis tempus præſcribit, locumque aſſignat, illis diuturnitatem imponit, aliiſque ornat circumſtantiis. Eſt tanquam Æterni Patris Organum, ut illius voluntates huic Homini Deo nuntiet, fidelis conſiliorum ejus interpres, ac primus poteſtatis ejuſdem depoſitarius. Salvatori inquit, Fili mi, Pater tuus imperat, ut te in Ægyptum adducam; & Salvator paret, ac cæce ſequitur, quocumque ducatur. In oppidum Nazareth revertendum eſt; Deus hoc mihi præcipit, & Salvator obtemperat. Exponit Joſeph incarnato huic verbo Cæli

juſſa,

BIBLIOTECA CENTRAL

juſſa, & Dei Filius nonniſi ad vocem, imperiumque Joſeph agit, atque ſeſe movet. Joſeph aſtrum eſt, quod cælo ſuo motum tribuit, radius, qui Solem ſuum regit, creatura, quæ ad arbitrium de ſuo Creatore diſponit. Ne quis ergo miretur, quod Deus olim in lege veteri hominis voci obediverit, cum Joſue Solis curſum inhibuiſſet. Sol enim juſtitiæ annos triginta paruit homini egeno, ac fabro, qui in ſpeciem nihil habere videtur præ hominibus reliquis, idque in latenti vita humili, laborioſaque taberna. Tunc paruit ille voci Imperatoris Iſrael, ſed ſemel, ut facem præferret triumphis illius, qui pro ejuſdem gloria dimicabat: *Obediente Deo voci hominis*. (*Joſue* 10.) Hic vero non ſemel, neque iterum facit; ſed quotidie, in horas ſingulas, & momenta: non ad breve tempus, ut Joſue præcipiens ſpiritui, a quo ſydus ille agebatur, ut præcipitem ſiſteret gradum illius; ſed triginta annorum ſpatio, non ſolum in magnis, ut olim cum illo promiſſæ telluris domitore fecit, ſed etiam in minimis, ac minutis unius domunculæ officiis, in quibus hic Homo Deus, qui Sol erat Mundi, ſequitur motum viſibilis hujus intelligentiæ, quæ Patris nomine appellatur, ut illi jure, & cum auctoritate poſſit imperare: *Et erat ſubditus illis*. (*Luc.* 2.) Ecce in tribus hiſce verbis tota vita, actioneſque omnes Incarnati Verbi, & quidquid præſtantiſſimum, digniſſimumque de hoc Homine Deo dicere poſſumus. Lectio admirabilis, quam nobis Salvator, de quo, cum annos natus triginta mari, ventiſque imperabat non ſine admiratione quærebatur: *Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* (*Matth.* 8.) Quiſnam eſt vir hic adeo potens, qui tanta jubet auctoritate, & qui ſuprema cum poteſtate efficit, ut ſibi obediatur? Illud vero multo magis nobis ſtuporem immittere debet, cum videmus illum ipſum S. Joſepho parere, ut jure dicere valeamus: *Quis eſt hic?* cui, non mare, ac venti obſequuntur, ſed ipſe univerſorum Creator obtemperat? Quis, inquam, hic, cui Deus ſolerter obedit, non ſolum ſubjectione voluntatis ſuæ, ſed etiam mentis, in quo Sancti Patres perfectiſſimum obedientiæ gradum conſtituunt? Licet enim Filius hic perfectam rationis ætatem aſſecutus eſſet, ejuſque ratio eſſet immenſo lumine illuſtrata, nihilominus ſicut illam oſtendere noluit niſi habita ratione temporum, quibus illum ætas in aliis pueris evolvit, diſcere voluit primas rerum notiones ſub hujus magiſtri diſciplina, & ab hoc ſydere illuminari, ille, qui venerat, ut omnem hominem illuminaret. Quo lumine opus erat, Sanctum Joſeph divinitus illuſtrari, ut edoceret hunc totius Mundi Magiſtrum? Sanctus hic vir ab eo, quem regebat, recipiebat neceſſaria lumina, ut digne munere ſuo perfungeretur; *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Honor, que Dei Filius, ejuſque Virgo Sanctiſſima adhibuerit S. Joſeph, & quem ipſi etiam eidē adhibere debemus.

Quis honorem illi detrectet, quem legitima auctoritas ſupra Angelorum, hominumque Reginam, ſuperque Regem ſæculorum, ſolum immortalem, cujus unius eſt honor, & gloria, extulit? In obſequiis, quæ Salvator, ejuſque Mater Sanctiſſima Sancto huic præſtiterunt, ad unguem adimpletum eſt myſticum veteris Patriarchæ ſomnium, qui in Ægypti ſolio nomine eodem appellabatur. Sol, & Luna longe præſtantiora ſyderibus, quæ interdiu, noctuque nobis effulgent, ei vere honorem, ac reverentiam adhibuerunt. Æquumne eſſet, ut huic nos, qui abjectiſſimi ſumus terræ vermes, obſequia illi noſtra detrectaremus? Verum quidem eſt noviſſimis tandem hiſce temporibus feſtum S. Joſeph diem inſtitutum fuiſſe, quem hodierna die celebramus in ejus honorem. Ita agendum erat Eccleſiæ, ne cultu nimis publico videretur auctoritate ſua probare hæreticorum errorem, qui Sancto huic in J. C. nativitatem nimium tribuentes auferebant Salvatori gloriam, dicentes ex Virgine natum non eſſe, & Sanctiſſimæ illius Matri, aſſerentes illam nonniſi cum virginitatis jactura eum peperiſſe. Sed poſtquam hæc hæreſis adeo Matri ſimul, Filioque contumelioſa obliterata fuit, cenſuit Eccleſia ſibi non ultra utendum eſſe iiſdem cautionibus, ut ante; atque in honorem Sancti hujus templa ædificata ſunt, aræ poſitæ, oblata ſacrificia, dies feſti viventi Deo conſecrati ſunt; nomen Joſeph invocatum eſt in univerſa terra, & fidelium pietas ut plurimum illud cum ſacrarum perſonarum nomine conjungit, cum quibus arctam adeo habuit neceſſitudinem. *Pater Martineau*.

Obſequia noſtra erga magnū Sanctum hunc animata eſſe debent vera confidentia in illius interceſſione.

Ceterum nequaquam neceſſe eſt, ut noſtra erga S. Joſeph obſequia effectus ſint ejus æſtimationis, quam illis magnitudo meretur; ſed opus eſt etiam, ut vera in ipſum confidentia animentur. In illius magnitudine reperiemus, unde noſtra erga illum pietas & æſtimatio augeatur, ille autem inveniet, unde nobis ferat opem. Pater quomodocumque illius, qui gratiarum eſt Sponſus illius, quæ earum eſt rivus, numquid non poterit earum quaſdam ad nos derivare, ſi ad illum confugerimus? *Ite ad Joſeph* olim dicebatur, loquendo de Patriarcha illo, quem Deus per fratrum ejus perfidiam ad florentiſſimi imperii moderandas habenas adduxerat. Eadem ad vos verba dirigo: ad Sanctum hunc noſtrum confugite, *Ite ad Joſeph*. Veſtra in ipſum confidentia ob repulſam non confundetur. Eorum quæ aſſero, duos vades habeo ex præcipuis Eccleſiæ luminibus, quorum alter eſt doctor Angelicus. Hunc Virum audite, cujus ſingula verba ſunt inſtar Oraculorum. Sanctis aliquibus conceſſum fuit, inquit ille, nobis in quibuſdam peculiaribus occaſionibus ferre opem; ſed hæc in re cæteris præſtat S. Joſeph, qui in omni occaſionum genere nobis præſto eſſe poteſt. Altera vero eſt incomparabilis Thereſia, quæ in ſexu fragili, ac parum illuminato & Martyrum conſtantiam, & Doctorum lumen obtinuit. Hæc paſſim in operibus ſuis teſtatum reliquit, ſe nihil unquam per Sancti hujus interceſſionem a Deo petiiſſe, quod non impetraverit; atque fideles obteſtatur, ut & ipſi hoc experiri velint. Hortatur, eoſque urget vehementer ſimul, & pathetice, ne ſua negligentia inutilia eſſe patiantur ea ſubſidia, quæ pro mortalibus omnibus miſericordia in eadem conſtituit. Hujuſmodi teſtibus, qui in iis, quæ ad ſpiritalem vitam pertinent, adeo ſunt peſpicaces, quis non confidat in Sancti hujus meritis, atque interceſſione? Vel quis poterit dubitare, quominus illum in omnibus invocans neceſſitatibus ſuis, obtenturus ſit per illum a Deo omnes gratias, quæ ad ſuum pertinent ſtatum? *Idem*.

Qualitates amoris quo Patres filios ſuos diligunt, in amore S. Joſeph erga J. Chriſtum inveniuntur.

Amori paterno duæ ut plurimum tribuuntur qualitates, vis, ac ſuavitas. Amor hic eſſe debet generoſus, atque in hoc ab amore matrum diverſus, qui plus ſuavitatis habet, quam virium. Eſſe debet tener, & ardens, qui in iis omnibus, quæ ad filios pertinent, rem ſuam agi putet, & qui omnibus eorum neceſſitatibus non minimum efficiatur. Duas haſce qualitates in ſummo perfectionis gradu S. Joſeph conjunxit, expertuſque eſt motus, quos utraque in corde poteſt producere: ſuavitas, quæ in aliis originem ſuam ab ipſa natura mutuatur, in hoc initium ducebat a gratia, quæ erga hunc puerum in illo ciebat tenerrimam, ardentiſſimamque caritatem, quæ in dies augebatur eo ſtatu, in quo illum videbat, & divini hujus objecti præſentia, quod ſemper ob oculos ejus verſabatur. Si enim Seraphim eo quod propriora ſunt Deo, ſunt etiam in illius amore ardentiora: Joſeph, qui nunquam ab illo amovebat oculos, nonne ſemper habere debebat cor ſuum ſacro hoc igne ſuccenſum? Si duo Salvatoris hujus diſcipuli in Emaus euntes mœrore, ac dolore confecti propter Magiſtri mortem hoc eodem ſe amore inflammari intellexerunt, ſtatim ac aliquantiſper cum illo in via locuti ſunt, ita ut ultro, citroque ſibi dicerent: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?* (*Luc.* 24.) Profecto S. Joſeph, uti contigit illum audire, & cum eo verſari non una tantum hora, vel etiam altera, quod illis accidit diſcipulis, neque in brevi aliquo itinere, ſed aſſidue ſemper in una eademque domo vivens annis triginta, quem clibanum, aut quam amoris fornacem in ſuo corde non ſenſit? Num ſimul cum Sanctiſſima Virgine conjuge ſua dicere poterat: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?* Si dilectus diſcipulus eo quod ſemel ſuper ſacrum hujus Incarnati Verbi pectus requievit, tantam erga illum dilectionis hauſerat magnitudinem, ut non niſi de Caritate verba facere poſſet; quid tandem de S. Joſeph ſentiendum eſt, cui non ſolum contigit ſuper pectus ejus quieſcere, nec ſemel, ſed qui divinum Salvatorem adhuc puerum decies centies millies inter ſuas ulnas geſtavit; qui illum ſuper cor ſuum quieſcere fecit; qui ſæpiſſime os ſuum ori illius agglutinavit: quas ardentes caritatis flammas, quam amoris ſuavitatem non ſenſit? Senex optimus Simeon illum ſemel tantum amplexus eſt, & hac perfruitus felicitate nihil ultra in hac vita videre voluit: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* (*Luc.* 1.) Quid ergo poterat ultra S. Joſeph concupiſcere jugiter in hac vita eo gaviſus bono, quod mortales omnes beatiſſimos effeciſſet?

Vi amoris S. Joſeph erga Salvatorem ejuſdē ſuavitati conjuncta.

Suavitati amoris, quæ in patre requiritur, vis etiam accedat oportet; quam quidem virtutem eminenter Joſeph obtinuit; illius quippe caritas erga Salvatorem non minus generoſa, quam tenera fuit, ut illius incolumitati vacaret, & ad id ſexcentos labores ſuſciperet, veluti cum fuga in Ægyptum fuit capeſſenda ad Herodis perſecutionem vitandam. Qua animi alacritate, qua vi tunc non indiguit ad ingrediendum adeo longinquum iter in ſumma rerum omnium inopia? Quæ ſuſtinendæ fuerunt ærumnæ ob eam vitam tuendam, quæ pro totius mundi ſalute erat devovenda? Et cum Puer iſte ad tempus ſeceſſit, ut duodecim natus annos in Templum ſe reciperet, qua uſus eſt diligentia, quam ſollicitudinem una cum Sanctiſſima Virgine præ ſe non tulit eum reperturus? *Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te.* (*Luc.* 2.) Itaque S. Joſeph quatenus J. Chriſti pater in corde ſuo conſociabat amorem hunc fortem, ac generoſum cum amore tenero, ardenti, & miſericordi; & uterque hic amor ſimul collecti ſeſe invicem inflammabant; ſuavitas quidem efficiebat, ut pro ſalute Salvatoris ſexcentas cuperet vitas impendere, & viciſſim labores ab ipſo ſuſcepti plurimum conferebant ad augendam hanc amoris ſuavitatem, ut plurimum enim impenſius amamus, quod a nobis majori pretio comparatum eſt. Quibus autem laboribus, quibus anguſtiis, quibus itineribus opus fuit ad hunc puerum educandum? ad illum tutandum contra inimicorum perſequentium iras? ad ſervandum hoc depoſitum cælitus ſibi concreditum? Fili mi, eidem dicere poterat, quam mihi pretioſus es, quandoquidem tanto mihi ſtas pretio! Si meus non es, quia vitam tibi non tribui, meus tamen es alia ex cauſſa; quoniam aſſidue vitam meam in diſcrimen adduco, ut conſulam tuæ. Incolumitati tuæ id tribuo, quod tuæ non contuli nativitati, & victui tuo id devoveo, quod efficientiæ vitæ tuæ tribuere non potui. Sed viciſſim quos amoris, reverentiæ, gratique animi ſenſus divinus hic puer teſtabatur illi, qui patris, tutoris, magiſtri, rerumque omnium vicem illi gerebat? Vult ab illius nutu pendere propter tot nomina, ut illum eo altius attollat, quo majorem illi adhibet obſervantiam, & obſequium. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta*.

S. Joſeph periori jure, quam vetus ille Joſeph dicere poteſt, ſe vidiſſe non in ſomnis quidem ſed reipſa Solem adorare ſe, & æquum eſt, ut omnes homines illum venerentur.

Merito Sanctus Joſeph affirmare poteſt, quod vetus ille: *Vidi quaſi Solem adorare me.* Vidi non per ſomnium, aut viſionem, ſed reipſa, & vere, Mundi Solem, unigenitum Æterni Patris Filium, Regem hunc, ſupremumque mortalium omnium dominum, coram quo altiſſima Seraphim præ reverentia flectunt genua; vidi illum denique, qui Dominantium Rex nominatur, meæ ſubditum voluntati, a nutu meo pendere, mea juſſa capeſſere, mihi obſequi, tanquam Patri, ac Inſtitutori ſuo, qui juſta cum auctoritate illi præcipere potui: *Vidi quaſi ſolem adorare me.* Poſt hæc dubitandum non eſt, quominus Filii Dei meas ſit, a nobis obſequia noſtra ſuis addi; & reverentiam, quam illi debemus, reverentiæ, qua Sanctum hunc hominem Dei Filius proſequitur; ideoque voluit efficere, ut cultus, qui Sancto huic viro adhibetur, & devotio, qua colitur, noviſſimis præſertim hiſce temporibus eluceſceret veluti ad reparandam cum fenore oblivionem, & obſcuritatem, in qua primis Eccleſiæ ſæculis tanquam ſepultus jacuit: fortaſſe non ſine altiſſimo ſuæ Providentiæ conſilio, ut vulgo fides eſt, propter tot hæreticos, qui variis ſubinde temporibus extiterunt, quorum alii Filii Dei divinitatem adorti ſunt, qui haud dubie abuſi fuiſſent cultu, qui Sancto Joſeph adhibebatur, ut illum vere crederent Patrem, quemadmodum Patris nomen gerebat; alii vero cum adverſum Matrem illius jam eſſent debacchati, ut illam divinæ maternitatis gloria fraudarent; inde ſane anſam ſumpſiſſent pertinacius erroribus ſuis adhærendi. Itaque dici etiam poteſt Sanctum Joſeph debitum ſibi honorem, & gloriam ſacrificaſſe honori, & gloriæ J. C. Hodierna vero die ad ſilentium diuturnum adeo reparandum videtur Eccleſia Dei Spiritu edocta efficere, ut ubicumque illius gloria eluceſcat, & omnia Fidelium ora ubique terrarum ejus laudes, & magnalia certatim celebrent; etenim quocumque pedem feramus, cultum illius percrebeſcere, atque in ejus honorem aras poni intuemur. *Idem*.

Maria Sanctum Joſeph diligebat non ſolum ex officio, ac debito, ſed etiam ex grati animi ſenſu propter operā ab eo ſibi præſtitam.

Si mutuam perpenderimus affectionem, qua Sanctiſſima Virgo Sanctum Joſeph complectebatur, quis ambigere poterit, quominus eſſet ardentiſſima, ſicuti erat puriſſima, & æquiſſima omnium, quæ unquam fuerunt? Et ratio eſt, quod cum hæc affectio ab ipſo Deo fuerit imperata, ſupponendum eſt, illam præcepto huic paruiſſe æque ac omnes reliquæ, immo longe perfectius quam omnes mundi nuptæ. Ita ſane, & licet affectionem hanc illa minime habuiſſet ex officio, animique ſtudio; illam profecto ex grati animi ſenſu erat habitura, quandoquidem una tantum ex cauſſa honorem, vitamque ipſam illi debebat. Etenim Sanctus Joſeph illam, quin ad id quidquam ipſe contuliſſet, ventrem ferre videns, adhuc magni myſterii neſcius, tantum abfuit, locum ſuſpicioni præberet, eamque in judicium arceſſeret a populo lapidibus obruendam juxta legem in adulteras latam, quin excandeſceret, aut illam tanti ſceleris noxiam ſuſpicaretur, vel adhiberet aures ſenſuum tumultui, qui in mente ipſius oboriri poterat in re adeo tenera; incertus conſilii clanculum ab ea tantum recedere cogitavit. Quapropter Auctor operis imperfecti in Sanctum Matthæum hæc ait: *Magis credebat caſtitati ejus, quam utero ejus, plus gratiæ, quam naturæ conceptionem manifeſte videbat: poſſibilius eſſe credebat mulierem ſine viro poſſe concipere, quam Mariam poſſe peccare.* Quamvis primum quidem ſenſus illius ita eſſent confuſi, ut quid ſibi conſilium capiendum eſſet non ſatis intelligeret: nihilominus quin veritatem inquireret in re tanti momenti, etiam antequam Angelus illi omnem dubitandi locum abſtuliſſet, ac diſſipaſſet turbam, qua agitabatur: potius in conjugis ſuæ virtute confidit, quam oculis ſuis credidit, exiſtimavit potius hoc gratiæ, quam naturæ opus eſſe, cumque nullam habere poſſet illius ſuſpicionem, cujus innocentiam exploratam habebat, cenſuit probabilius eſſe Virginem parere poſſe, quam uxorem ſuam peccare potuiſſe. Hinc procul dubio non minimum ipſa debebat Sancto Joſeph præter officia omnia, & obſequia quæ ab eodem præſtabantur filio ſuo, quæ totidem erant nomina, quibus ſolvendis ſe obſtringi arbitrabatur, & quæ diſſolvere ſategebat grati animi officio æque ac amore, quem eidem debebat. Quænam autem Sancti hujus viri felicitas poſt Deum, objectum eſſe amorum Mariæ? Si enim æquis ſpectari oculis ab hac Angelorum Regina, tanta felicitas eſt, ut illi omnes celorum incolæ poſſint invidere; quæ tandem erit Sancti Joſeph felicitas, pro quo Virgo Sanctiſſima æquiſſimam, ſanctiſſimamque fovit amicitiam, tamquam erga Virum ſuum, quæ ideo maxima eſſe debuit; quandoquidem videmus Deum primum hujus mundi conjugium inſtituentem primis illis præcepiſſe conjugibus, ut patrem, matremque relinquerent, unam tantummodo perſonam effecturi. Hinc ergo judicium ferte de prærogativis, quibus S. Joſeph auctus fuit. Quæ enim bona uxor omnipotens viro ſuo, quem unice diligeret, non procuraret? Nonne propter propriam utilitatem æque ac dilectionem ſuam teneretur illi omnes honores & gratias, quarum penes ſe eſſet arbitrium, procurare? alterius efficit nobilitatem, & bona omnia, quæ poſſidet vir, æque conjugis ejuſdem gloriam conſtituunt. Itaque licet S. Joſeph non eſſet per ſe, ac merita ſua magnus coram Deo, magnus tamen eſſet ob illius cauſſam, quæ inſignem confert incomparabilis magnitudinis characterem iis omnibus, quæ ſua ſunt. *Idem*.

Moderatio S. Joſeph in graviditate cōjugis ſuæ cujus ignorabat myſterium damnat zelotypias, ac divortia ob leviſſimas cauſſas intra conjuges facta.

Quomodo ſe geſſit S. Joſeph cum in ſanctiſſima conjuge ſua graviditatem deprehendit, ad quam nihil ipſe contulerat, & cujus myſterium ignorabat? Quæ ſuſpicionum, diffidentiæ, mœroris, & ægritudinis nubes & ipſa rei natura in illius mente coaleſcere debebant? Profecto exarſiſſet ille, & extrema quæque auſus eſſet, ſi eos conſuluiſſet ſenſus, quibus modo homines facillime, ac imprudentiſſime trahi ſe patiuntur. Etenim ſi repetatur origo tot funeſtorum litigiorum, in quæ ſummo cum ſcandalo mortales erumpunt; re intus, & in cute perſpecta quid tandem invenitur? nugæ quædam perperam creditæ; zelotypiæ furor, ſuperſtitio irridenda, exprobratio præceps, vel importuna, contemnendus nullius momenti rumor. Hinc autem acrimoniæ, & contemptus, pravæ animi affectiones: Omnia diſplicent, omnia lædunt, omnia horribilia videntur, & quin ſe mutuo excuſent, penes alterum injuriam eſſe contendunt, ut ſe ipſos probent, ſuamque agendi rationem innocuam oſtendant. Inde tandem tempus accedit cum odium geminatur millies repetita diſſenſionis cauſſa, neque poteſt amplius intra domeſticos parietes contineri. Alibi conquiruntur familiares, qui, vel quæ utrique parti faveant, a judicum ſubſelliis non abſtinet querimoniæ, judicum aures prolixa ineptiarum narratione obtunduntur; ſexcenta manant in vulgus, quæ æterna oblivione erant obruenda, & ubique alter alteri nigræ ſuccum loliginis allinit. Quæ mala Sancti Joſeph moderatione mirum in modum damnantur. Illi non ſatis eſt luminis, ut conjugem ſuam excuſet; ſed ſatis bonitatis illi eſt, ne ipſam condemnet; & ſi minus animum adjicere poteſt, ut cum illa permaneat, multo minus illam poteſt publicæ objicere ignominiæ, palam ei tribuens repudii libellum, & infidelitatis nomine accuſans: *Cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* (*Matth.* 1.) *P. Martineau*.

Joſeph quatenus Salvatoris Pater particeps eſſe debuit paſſionum, & perſecutionum filii.

Debebat J. C. a puero damnare profanum illum amorem, quo viſibilia deperimus bona, ea amplectens mala, quæ illis ſunt oppoſita. Oportebat ideo ut in ipſo, ut ita dicam, paupertatis ſinu naſceretur; ſtatim ac lucem adſpexiſſet, inveniret perſecutores; in moleſtum abiret exſilium ad eludendas artes, atque impotentiam Principis, cui ambitio æque crudelis, ac inſana, ſuadebat ut omnia ſacrificaret politicæ rationi, & inexplebili regnandi libidini; & obſcuro, ignotoque viveret loco contemptus ab illis, a quibus in honore erat habendus. Joſeph autem harum omnium pœnarum particeps futurus erat: *Ad hæc omnia Spiritus Sanctus Joſephum pignorabat*. Ab æterno electus, ut aliquo modo pater eſſet Dei facti pauperis, opus fuit, ut toto vitæ ſpatio pauper eſſet, & ad extremum uſque ſpiritum in tabernæ latebris viveret addictus opificio, quod ſimul abjectum eſſet, atque moleſtum. Dicere fas eſt, Salvator amabilis? titulos, quos Prophetæ tribuerunt tibi, titulos, inquam, quibus te appellabant opprobrium plebis, vermen terræ, filium fabri, tu illos propriis ſumptibus coemiſti: ſed non minori pretio ſteterunt. Tu illos nactus es in illius abjectione, & laboribus; te ad eoſdem adduxit quin unquam eorum tædio afficeretur. Hoc pretio ſtetit illi gloria, qua gaviſus eſt, cum Pater tuus vocaretur. Quodnam majus habere poſſumus argumentum fidelitatis ejus in officiis obeundis miniſterii, quod illi tua providentia commiſerat? *Fidelis ſervus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* (*Matth.* 24. *Idem*.

Si dignitas, & magnitudo Joſeph ſunt inacceſſæ propter munus, ad quod illum deſtinaverat Providentia; in præmium, ſanctitatem, quæ illas ſuſtinuit, fortaſſe omnium unam facillime poſſumus imitari: Videtur enim Deus illum hominibus tradidiſſe tanquam perfectiſſimum exemplar, quo oſtendit in communi etiam vita præſtantiſſimas virtutes quaslibet adquiri poſſe, & exerceri. Neque enim hæc vita eſt miraculis plena, vel actionibus admodum inſignibus, quas nobis ob oculos proponat; Sanctitas ejus nequaquam poſita eſt in magnis auſteritatibus, in Apoſtolica vita, vel in gravium cruciatuum perpeſſione; Sanctitas eſt quæ inveniri poteſt in omnibus ſtatibus, & conditionibus; quæ hominum ſe accommodat infirmitati, & cujus tota perfectio in familiæ regimine, & domeſticis negotiis procurandis continetur. Homo eſt victum ſibi manuum ſuarum laboribus comparans; qui laborioſam exercet artem; qui vendit, qui emit, qui locat operam ſuam, & familiam ſuam diurno ſudorum fructu nutrit. Hæc extima eſt ſanctitatis ejus ſpecies: Vita communis, qualem ſexcenti ducunt quotidie. Non igitur munia, vel facta inſignia, neque magnæ occupationes, Sanctos efficiunt: quilibet enim Sanctitatis lauream adipiſci poteſt etiam per ea quæ vulgatiſſima ſunt, atque communia. Verum ſi ab externa hac ſpecie interiore Sancti Joſeph Sanctitatem intueamini, videbitis ibi hominem juſtum, omnia diligentiſſime officia ſua obeuntem, ea conditione contentum, in qua ipſum providentia conſtituit, omnibus ejuſdem nutibus obſequentem inſtar fidelis ſervi, a terrenis rebus divulſum, corde ſemper hærentem Deo, & nullam contemnentem ex iis occaſionibus, quas Mundus caſus & ærumnas appellat, ut ſanctificetur. Quemadmodum ergo hac de cauſſa Sanctus hic vir maximus eſt coram Deo, ob eamdem eſt etiam nobis maxime imitabilis, & ſuo nos docet exemplo nullum eſſe ſtatum vel munus, vel conditionem ubi duci nequeat vita frugi, juſta, & ſancta, ubi Deo fidelis adhærere, omneſque exercere virtutes poſſis, temet ſemper ad illius beneplacitum conformans; verbo, ubi inſignis Sanctus evadere nequeas, a quo nil ultra requirit Deus, niſi quod ut S. Joſeph, obeas ejus conditionis officia, in qua illum conſtituere ſibi placuit. Ipſa etiam felicitas, qua dignus eſt habitus, ut ipſum nutriret Salvatorem, & occaſiones, quæ ſe ſe illi obtulerunt ſexcentis offi-

ciis

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.M.

ciis de eodem bene merendi, nequaquam tantam illi contulere prærogativam, ut eidem ſuppleri minime poſsit; quandoquidem idem Dei Filius rationem habiturus eſt eorum omnium quæ ipſi fratribus noſtris propter ejus amorem fecerimus, perinde ac uni illi ea feciſſemus. Itaque in nobis tantum erit magnum Sanctum hunc imitari ſemper in actionibus noſtris eamdem habentes intentionem, quæ illum ad altiſsimum gloriæ verticem extulit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Elogium S. Joſeph virtutum ejus compendium, ejuſque perſonæ character.

Fidelis ſervus, & prudens, quem nobis exhibet Evangelium tamquam Caput & dominum ejus familiæ, qua nulla unquam ſanctior fuit: *Fidelis ſervus, & prudens &c.* Vir hic electus ut eſſet Miniſter Dei, qui in Cælo eſt, & ut imperaret Deo, qui in terris factus eſt homo; faber hic adeo bonorum fortunæ egenus, & adeo parum ſpectabilis propter locum, quem inter homines tenuit; ſed elevatus adeo ob ſuum miniſterium, ac merita apud Regem univerſorum; hic tandem vir, ex abjectione & magnitudine conſtans, incomparabilis eſt S. Joſeph a Deo conſtitutus, ut præſit familiæ, quæ proprie Dei familia eſt, & qui ſua fidelitate, atque prudentia meritus eſt, ut quodammodo vocaretur in ſocietatem magni conſilii de Verbi Incarnatione ſuſcepti, ut S. Bernardus ait: *Solum in terris magni conſilii coadjutorem fidiſſimum.* Profecto ſicuti hic Homo Deus, qui haberi dignatus eſt filius Joſeph, S. Epiphanio teſte, fuit congeries rerum admirabilium, quæ cum humano ſpiritu conſocianda minime videntur; eo quod Supremi Principis qualitatem cum ſervi annihilatione conjunxit, hominis infirmitatem cum omnipotentia, omneſque oppoſitiones, quæ ſibimet maxime adverſabantur, quæ omnia per Incarnationis myſterium conſenſere: ita videtur, ex quo S. Joſeph electus fuit, ut hoc celaret myſterium, ac illud celans eidem cooperaretur, illa etiam, quæ remotiſſima erant conjunxiſſe, quia poſtmodum homo fuit, cui Deus obedivit, & qui eidem imperavit; qui ſervi fidelis munere perſunctus eſt, & prudenter nomen, & auctoritatem patris Dei ſuſtinuit; qui fuit Sponſus Matris Virginis, & Salvatoris ejuſdem Salvator; qui illum aluit, a quo omnia aluntur creata, & rexit illum, cujus prudentia univerſa reguntur. Ecce quinam fuerit S. Joſeph. *Idem.*

Cum elegerit Deus obſcurum vitæ genus, abjectam conditionem, pauperem, ignotumque ſtatum filio ſuo, neceſſe erat, ut ille, cui ejus alendi, educandique provincia eſſet concredita, vitam duceret egenam, in latebris, & in neceſſitate abjectum aliquod, moleſtumque opificium proficiendi. Qua igitur fidelitate opus erat huic nutritio, ut ſe ſe ſubmitteret huic Providentiæ, quæ ipſi onus aſſignat puerum alendi, quin tribuat unde alat illum, quæ illum illuſtri loco naſci voluit, ut ejus nobilitas in eumdem filium reſiliret, ſed quæ vult, hunc intra latentis vitæ tenebras contineri, & quæ illi in hereditatem nonniſi miſeriam atque egeſtatem relinquit: cum cura conſulendi hujus filii neceſſitatibus, qui naſcitur ſub umbra conjugii ipſius ad celandam eam nobilitatem, quæ videbatur potius ab illo huic eſſe procuranda. Hæc cum Divinis imperiis conformitas procul dubio non eſt virtutis communis effectus, & heroica opus erat fidelitate ad ſubeundas ſine querela, ſine murmure, ſine tædio pœnas omnes, quibus paupertas ſubjicit familiam æque illuſtrem ac egenam, qualis erat familia Joſeph. Hæc erat via, quam providentia illi indigitaverat, a qua nunquam receſſit eo contentus ſtatu in quo ipſa illum collocaverat, & ſe beatum exiſtimans, quod ſimilis eſſet illi, qui ex divite ac Principe fieri, naſci, ac vivere voluit pauper propter amorem ipſius. Quam admirabilis eſt hæc fidelitas! quam rara! & quam dignum Angelorum, Deique ipſius oculis hoc ſpectaculum! Sed quodnam pulcrius exemplar ob oculos habere poſſumus, ut cohibeamus hæc ambitioſa deſideria, quæ etiam tanquam præclara merita in mundo jactantur, ab avita gloria non excidendi, familiæ ſuæ decora ſuſtinendi; & ſi ad id opes deſunt, omnes earum adquirendarum vias tentandi, ut contra omnia fortunæ tela reſiſtunt, quaſi oſtendere vellent, ſemper ſe ſupra ceteros eminere aſſerta hac animi magnitudine, quam nihil ſuperare, eique caliginem offundere poteſt. S. Joſeph humanos hoſce ſenſus non fovet: felicitatem ſuam nanciſcitur in ſuæ conditionis miſeria, atque in hoc ſuam conſtituit magnitudinem, ſi ejuſdem humilitatem, atque incommoda ferat patienter. *Idem.*

Fidelitas S. Joſeph, in exequendis imperiis, quæ a Domino acceperat.

S. Joſeph ſuam oſtendit fidelitatem non ſolum ſeſe Dei mandatis ſubjiciens, ſed illa celeri, cæca, integra, conſtantique exequens obedientia. Profecto opus erat hujus caracteris viro, cujus fidelitatis Deus inniti poteſt, ut magnum illud conſilium e ſententia procederet: ubi agebatur ante omnia de ſervanda Incarnati Verbi vita, eaque ſubtrahenda odio, & furori tyranni, qui illum ad necem conquirebat politicam ob cauſſam, quæ efficere poterat, ut omnia ambitioni ſuæ haberet deteriora; & qui, ne puer iſte ſibi e manibus elaberetur, jam decreverat illum in communi puerorum omnium regionis illius cæde ſimul involvere. Hinc facile intelligi poteſt nunquam opus fuiſſe obedientia magis perfecta & fideli, quam in adeo urgenti periculo, & in occaſione adeo inopinata. Ad examen, quæſo, revocate omnes illius circumſtantias; atque de illius fidelitate judicium ferte non ſolum ex pretio & neceſſitate hujus rei, verum etiam ex affectione cordis, ex conſilii generoſitate, atque ex difficultatibus quas mens ſua ſtatim objecit, & quæ deinceps in re exequenda magis magiſque creverunt. Angelus nuntiat illi Æterni Patris imperia, ut quam primum in Ægyptum capeſſat fugam, ut ſecum parvulum arripiat, ejuſque matrem illuc ſimul adducat. Statim e veſtigio diſcedendum eſt, neque enim temporis jacturam res ipſa patitur: noctu iter ſuſcipiendum eſt, atque longinque via ingredienda ſine commodis, ſine opibus, in rerum omnium inopia, ac neceſſitate. Hoc proculdubio poſcebat cor intrepidum, ac probatiſſimam fidelitatem, ut ſine mora fierent imperata. Joſeph non quærit vel de itineris termino, vel de via tenenda; non dubitat de imperio, ullam veritus illuſionem in Angeli apparitione, qui ad eum locutus fuerat in ſomnis: non moratur, nimium ſolerti præcautione ſecum loquens de oppoſitione, quæ videbatur occurrere inter diverſa, quæ ſibi nuntiata fuerant ab Angelo, in quorum altero pollicitus fuerat futurum ut hic puer ſalvaret populum ſuum; in altero vero ei præceperat, ut fuga pueri hujus incolumitati conſuleret. Denique cum jam pes efferendus erat domo, quot occurrerent difficultates, quæ ſervum minus fidelem remorari poterant, ſi ille de ordine, & itineris hujus ſubſidiis deliberaſſet? Ubinam habitandum erat? ubi viaticum comparandum? quomodo conſulendum neceſſitatibus matris, ac filii, cum ne ſuppeteret quidem tempus de iis cogitandi? Hæc tamen omnia efficere nequeunt, ut cor perfecte Deo ſubjectum vel breve momentum cunctetur. In ipſo itinere licet in cæli protectione, ac providentia quieſceret; tamen cum videretur Deus omnia curæ illius demandaſſe, quinam erat timor, quæ formido, ne inimicorum vigilantia cura ſua vinceretur; qua ſollicitudine obrui poterat propter incertitudinem temporis, quamdiu permanſus eſſet in Ægypto; quod ipſi revelatum non fuerat; *Et eſto tibi uſque dum dicam tibi.* (*Matth.* 1.) Quam vivendi rationem inire debebat in terra alienigena, idolorum cultrice, & quæ pro ſuorum numinum cultu ſummo zelo flagrabat? Quomodo ſperare poterat ſe a populo exceptum iri, cujus religionem ignorabat? quo pacto puerum hunc ibi loci ſalvare poterat, ubi pro uno perſecutore quem fugiebat, metuendum erat, ne tot inveniret, quot futuri fuiſſent illi, cum quibus ſibi eſſet agendum? His omnibus adde itineris hujus labores, ſine ullis commodis ad eos leniendos; moleſtiam deferendi pueri, ac victum ſibi comparandi. Eſto quidem præ amoris vi nullo in diſcrimine haberet quidquid ad proprium ſolatium ſpectaret, ſed videre illos, qui ſibi ſunt vita ipſa cariores, & quos, ut ſequantur, invitat, teſtatus hoc Dei juſſum eſſe, fateberis ſane nunquam fidelitatem graviori periculo fuiſſe tentatam; nullam unquam fuiſſe obedientia obſequentiorem, vel adeo moleſtis imperiis exercitam; denique neminem dediſſe vel magis rarum, vel magis perfectum exemplum ſubmiſſionis, quæ debetur Deo. *Idem.*

S. Joſeph gloriã ſuã ſacrificat ut Deo ſerviat.

Illud vero quod Sancti Joſeph fidelitatem adeo commendabilem efficit, eſt ſuam quoque gloriam pro Dei ſervitio ſacrificaſſe; præcipuum illi munus fuiſſe toto vitæ ſuæ tempore celandi fulgorem Meſſiæ, ac nullam in eo partem habuiſſe. Cum Salvator incepit erudire populos, eoſque doctrinam ſuam prorſus cæleſtem docere, quærebatur an hic filius eſſet Joſeph, & ubinam fabri filius tot ſcientias, ac lumina haurire potuiſſet. Cum miracula eum cognoſcendum præbuerunt, & rumor percrebeſcere cœpit hunc eſſe Meſſiam, cui præſtolabantur, credebant ſe ſatis errorem hunc abjeciſſe, dicentes, liquere, cujus eſſet; familiam, patremque illius non latere. Triginta annos apud Joſeph permanſit, ubi propter artis humilitatem, & obſcurum genus illius; cujus filius habebatur, æque deliteſcebat, ac ſi in penitiorem deſerti alicujus receſſum ſeſe contuliſſet. Tantum igitur abeſt, quod Joſeph de hoc Meſſia glorietur, ut ſuſpenſos immo teneat animos de illius qualitate, quem ad illum pertinere ſciebant omnes, & nullibi legimus in Evangelio ipſum fuiſſe unquam participem miraculorum ipſius, neque plauſus, quibus ſæpe filius excipiebatur quidquam contuliſſe ad gloriam illius, a quo ipſe vitam accepiſſe ferebatur. Hæc etiam eſt communis Doctorum ſententia, illum obiiſſe, ſtatim ac Salvator clareſcere incepit, quaſi Joſeph non electus fuiſſet, niſi ut illum propria humilitate celaret, & ejus miniſterium deſiiſſet, cum hic Homo Deus prodire cœpit, ac nullam obtinuiſſe partem gloriæ actionum illius, ſed tantummodo obſcuritatis, latentis vitæ, ac profundarum illius annihilationum. Hic eſt cumulus, & veluti quidam triumphus fidelitatis Sancti Joſeph. Deo ſervit propter Deum ipſum, & propter virtutem, quæ ut plurimum in hoc etiam mundo aliquibus gloriæ radiis circumornata eſt, licet hoc etiam exiguo nitore nudatam, ut eo magis fulgeat in cælo. *Idem.*

Jeſus Chriſtus majus temporis ſpatiũ impendit ut ſubſerviret S. Joſeph, quam ut populos erudiret, ægros ſanaret, & hominũ ſalutem operaretur.

Licet Evangelium, & Eccleſiæ Patres de illis actionibus verba feciſſent, quibus Salvator vacabat apud S. Joſeph, & Sanctiſſimam Virginem, ad eaſdem dignoſcendas ſatis eſſet non oblviſci, illum abjectum, atque contemptibilem vitæ ſtatum elegiſſe, ac prætuliſſe patrem ac matrem, egenos & ignotos fulgori inſignis progeniei. Egeni domi ſuæ non aliud ſperare poſsunt ſubſidium, quam quod ex filiis ſuis percipere poſsunt; cumque Dei Filius nulla in re voluerit ab aliis vulgo hominibus diſtingui, erat veluti famulus in domo Mariæ, & Joſeph, ut poſset aliquando vere dicere, quod *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* (*Matth.* 20.) Amabilis iſte Salvator extremos vitæ ſuæ annos tranſegit in publicis caritatis officiis ad plurimorum utilitatem; Domos eorum ingreſsus eſt, ut illos viſeret, atque ſanaret, cum

ægrotabant: mortuorum monumenta reſeravit, ut illos in vitam revocaret; mœrentium abſterſit lacrimas, antequam etiam ab eo aliquid opis quæreretur; magna aggreſsus eſt itinera, ut rudes ignaroſque erudiret. Denique non ſemel immenſam pavit audientium turbam, quæ in occulta montium, atque ſolitudinum eum ſubſequebatur. Attamen non multum impendit temporis ut populo ſuo hæc amoris documenta præberet; ſed toto ferme vitæ ſuæ tempore apud Joſeph permanſit: atque magis ſemet exercuit, ut hoc Magiſtro operatus pateret, quam pro omnibus Apoſtolis ſuis pro conſanguineis, mœrentibus, ægris, ac demum pro Judæis, & gentilibus ſimul omnibus laboraverit. *Ex Octavario de S. Joſeph P. Vertamon.*

Dolor, quo allectus fuit Joſeph cum triduo caruit adſpectus Salvatoris.

Joſeph triduo tantum caruit aſpectu Filii Dei, qui remanſerat in Jeruſalem; ſed breve hoc temporis ſpatium diuturnum fuit S. Joſeph eum ſummopere diligenti. Sanctus Patriarcha Jacob adeo vehementi dolore affectus fuit propter abſentiam Benjamin filii ſui, uti S. Joſeph ſe a J. C. ſeparatum intuitus, & fortaſse magnus ille vir millies illa Ruben dolore tabeſcentis verba iteravit: *Puer non comparet, & ego quo ibo*; (*Geneſ.* 37.) Tres dies longe diutiores viſi ſunt mœrenti huic patri, quam Tobiæ mora filii ſui redeuntis; & triſtitia confectus ſæpe illa repetiit verba, quibus quidam ex atavis ſuis uſus fuerat; *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; ubi eſt Deus tuus?* (*Pſalm.* 41.) *Idem.*

Quanta fuerit Sancti Joſeph humilitas.

Quemadmodum S. Bernardus docet Sanctiſſimam Virginem humilitate ſua ad dignitatem Genitricis Dei evectam fuiſse; aſseri etiam poteſt cum eruditiſſimo doctore, hanc eamdem virtutem evexiſse S. Joſeph ad dignitatem Sponſi ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis: æquum enim erat, ut humillima inter Virgines virorum humillimo nuberet. Ut vobis perſuaſum ſit S. Joſeph toto vitæ ſuæ tempore profundam humilitatem fuiſse profeſsum, cogitate quæſo, ſanctum hunc virum perfecte eas agnoviſse gratias, quibus a Deo fuerat cumulatus, neque ignorare potuiſse ſublimem illum dignitatis gradum, ad quem ſe ſublatum videbat, neque prohibere, quominus ſenſu animi grati pleniſſimo ea repeteret dilectiſſimæ conjugis verba; *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* (*Luc.* 1.) Licet genus ſuum a tot illuſtribus avis deductum ille ſpectaret tamquam neceſſitatem, ad quam nos adducit natura, nominis eorum augendi ſingularibus meritis; non ideo minus illi perſuaſum erat de jure ſuo, quia ſeipſum legitimum eſse noverat Davidis ſucceſsorem. Intelligebat nulli unquam viro beatiores contigiſse nuptias, operas ab Incarnato Verbo recipiebat, coram quo Seraphim ad nihilum uſque ſe humiliant. Caput erat familiæ, qua nulla auguſtior, ac ſanctior fuit uſpiam. Satis digne perfunctus jam fuerat pluribus officiis longe majoris momenti præ illis, quæ Deus priſcis Patriarchis, atque Prophetis crediderat. Ceterum docent Patres, & ipſa nobis oſtendit experientia, nihil adeo rarum, atque inſuetum eſse, quam videre aliquem in ſublimi poſitum non falſi ambitionis illecebra, quod vix, & ne vix quidem poteſt evitari, ſemper de ſe humiliter, ac demiſse ſentientem, & pro virili praxim earum actionum, quæ maxime humiliant, quærentem. Quoniam vero nequit fieri, ut in terris inveniatur homo, qui ſolidiores majoreſque honores acceperit, quam S. Joſeph, fatendum eſt etiam extremum amorem, quo toto vitæ ſuæ ſpatio humilitatem coluit, illum dignum effeciſse, quem homines, Angelique admirarentur. Etenim humilem eſse ſine meritis, neceſſitas eſt: ſed cum prærogativis, & gloria Sancti Joſeph eſse humilem, prodigium eſt, quod illum ſupra propriam ipſius elevationem attolit. *Idem.*

Sancti Joſeph dignitas.

Ut de magnitudine, ac dignitate S. Joſeph judicium ferre poſſitis, cogitate prima Spiritualis Regni Salvatoris ſubſellia, ut quinam S. Joſeph pluribus colluceant privilegiis innoteſcat. Primum Sanctos conſiderate, quorum officia majorem habuere cum Sanctiſſimæ Virginis occupationibus ſimilitudinem. Oculos etiam conjicite in celeberrimas provincias, quibus utriuſque foederis ſanctiſſimos viros Deus fuerit dignatus, ut liqueat, utrum earum aliqua valeat cum iis comparari, quibus Cælum S. Joſeph præfecit, quem S. Bernardus appellat, *ſolum in terris magni conſilii coadjutorem fidiſſimum*, myſterii videlicet dominicæ Incarnationis, hoc eſt maximi negotii, quod Deus uſquam vel ſuſceperit, vel ſuſcepturus ſit. Fuit ille caput familiæ, qua nulla ſplendidior extitit; illi commiſsa fuit Salvatoris, ſanctiſſimæque Matris ejuſdem cura; & duæ illæ ſacræ perſonæ viſæ ſunt eidem rebus in omnibus perfectiſſime obſequi, donec cum illis in terra verſatus eſt. Non ille plurimos annos Meſsiæ adventum, ut olim Patriarchæ, concupiit, ſed longo plurium annorum intervallo illum poſsedit. Non ille hujus adventum, ut olim Prophetæ, prædixit, at hunc inter ulnas ſuas, ac domi ſuæ in Nazareth tenuit. Non ille Præcurſoris dignitatem obtinuit, neque prædicationibus ſuis præparavit Judæorum corda, ut Meſsiam reciperent; ſed primus fuit, qui exemplo ſuo illos ſollicitarit, ut Hominem hunc Deum pro Salvatore ſuo recognoſcerent. Non ille omnes terrarum plagas luſtravit Apoſtolos imitatus, ut non ſecus ac illi ad myſticorum Salvatoris membrorum ſanctificationem cooperaretur; ſed ad naturalis ejuſdem corporis incolumitatem, atque incrementum, vigilias, & ſudores impendit. Non dedit illi Deus claves regni cælorum, ſed illi dedit tuendum eum, qui non ſolum tuta via eſt, unicumque regni ejuſdem oſtium, ſed qui illius dominus eſt, omneſque ejuſdem delicias conſtituit. Itaque cum nullum ſit officium, vel dignitas, dempta Sanctiſſimæ Virginis maternitate, quæ creaturam aliquam ſublimius, quam Sanctum Joſeph attollere valeat, liquet nos neque in novo Teſtamento inventuros eſſe virum aliquem, cui Deus plures contulerit gratias iis, quibus Sanctiſſimus vir hic fuit cumulatus. *Idem.*

Qua in re potiſſimum S. Joſeph humilitas enituerit.

Nullus dubitandi locus eſt quominus S. Joſeph humilitas aliqua in re ſingulariter enituerit, ſi judicium ferendum eſt juxta illa, quæ a S. Matthæo de tanto hoc homine referuntur. Quid? pro majoribus recenſere Reges; ab illis originem ducere quos Deus in Iſrael throno collocaverat; ex ea prodire familia, quæ ſimul Sacerdotium, Regnumque conjunxerat, & ſe beatum exiſtimare, quod ad humilem, obſcuramque conditionem redactus fuerit; haud ægre, & gravate extremam ferre paupertatem, & victum ſibi ſudoribus vultus ſui in taberna lignaria æquo animo comparare; ut verbo me expediam, inſtar fabri in ſpiritu Religionis vitam traducere; hoc ſane humilitatis prodigium vocari poteſt. Quo labore quidam ſuffocantur ſenſus, quos nativitas ciet, & mundi Spiritus fovet, & roborat. Quodcumque virtus adnitatur, genus noſtrum ad ipſam nos revocat originem. Hinc quantacumque laboret inopia vir nobilis, ſemper ſe nobilem eſſe novit, & quomodocumque a fortuna peſſime habeatur, ab hac nunquam ejus animus frangitur. Ut aliquis ſibi in hujuſmodi inſuetis, atque animum frangentibus occaſionibus ſibi moriatur, opus eſt, ut humilitas illum ab omnibus emundaverit. Joſeph de omnibus Chriſtianæ Religionis veritatibus edoctus, antequam etiam illa inſtitueretur in hoc ſuam conſtituit felicitatem, ut Domini voluntati ſeſe ſubjiciat; omnes delicias ſuas eſſe putat ſeſe ejuſdem beneplacito conformare, eique penitus omnem ſacrificare honorem, & gloriam, quam ex majorum ſuorum præſtantia, ac dignitate ipſo jure naturæ percipere poterat. *Sermo Manuſcriptus P. Stephani Chamillard.*

Sancti Joſeph vita non aliud fuit, quam humiliatio, labor, & perſecutio.

Neſcio utrum animadverteritis vitam Sancti Joſeph non aliud fuiſſe, quam jugem nexum humiliationum, laborum, perſecutionum. Totam adoleſcentiam ſuam in receſſum mundo prorſus ignotus tranſegit. Ex quo Sanctiſſimæ Virginis, & adorabilis ejuſdem filii curam ſuſcepit, paupertas, quam toto vitæ ſuæ ſpatio profeſſus erat, eo gravior erat, quod erat in cauſſa, ut non ipſe tantum, verum etiam tota ejus ſacra familia pateretur. Paullo poſt in Ægytum fugam jubetur capeſſere, ubi plures annos permanens eos ſuſtinuit labores, & ærumnas, quæ uni Deo, Sanctiſque exploratæ ſunt, ſed quæ aliquando futura ſunt noſtrarum admirationum, æternarumque laudum argumenta.

Longinqua illi ſuſcipienda fuerunt itinera, a quibus timor, pericula, labores alium quemlibet minus generoſum deterruiſſent. Denique reliqui ejus vitæ dies tranſigendi fuerunt illi non quidem in tranquillo ſenectutis otio, ſed in latebris lignariæ tabernæ inter labores, artemque moleſtam, quæ fuit illi exercenda, ut victui, ac neceſſitatibus optatiſſimæ ſuæ familiæ conſuleret. Qui jugibus ærumnis vexantur, & recogitant hanc Dei providentiam erga Sanctum hunc Patriarcham, quin animum abjiciant, & mœrore contabeſcant, ſe ipſos confirmare debent Sancti Joſeph exemplo, & credere, ſi eorum videtur oblviſci Deus, tanto magis eidem ſe acceptos eſſe, quo magis vitæ hujus afflictionibus probantur. *P. Vertamon, in S. Joſeph octava.*

Ut recte judicemus de Sancti Joſeph merito, cogitandum eſt quodnam fuerit meritum Sanctiſſimæ Virginis conjugis ſuæ.

Si Sanctum Joſeph non ſatis novimus, inſpiciamus ſatis eſt Sanctiſſimam Virginem, quia admirabiles hujus virtutes deſgentes, verum ferre poſſumus judicium de Sponſi ejuſdem virtutibus. Deus in primis terrarum nuptiis vult virum exemplum uxoris eſse: ſed in omnium conjugiorum ſanctiſſimo, uxorem eſse vult viri exemplum, & Sanctum Joſephum elevat ſecundum ſponſæ ipſius altitudinem. Nunquam ſatis æquum de ſingulari merito, atque incomparabilibus Sancti Joſeph privilegiis conceptum fovebimus, niſi meditati fuerimus ea, quæ nos docet Spiritus Sanctus de Virginis Sanctiſſimæ virtutibus in libris Prophetarum, ea, quæ Apoſtoli prædicaverunt, quæ ſcripſerant Evangeliſtæ, quæ Sancti Patres omnibus ſæculis docuerunt, quæ Theologiæ Doctores in Scholis tradiderunt, & generatim quæ Sancta Eccleſia nos docet. Cum enim Sanctus Joſeph ſit Sanctiſſimæ Virgini ſimillimus, aliquam habet partem in ſingulis laudibus, quæ illius Sponſæ tribuuntur, & æquum de illo judicium ferri non poteſt, niſi ea colligantur omnia, quæ in Sanctiſsimæ Conjugis illius laudem & gloriam prolata fuerunt. *Idem.*

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.